

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, monet Paulus Timotheum, ut afferentes nova dogmata, genealogias et fabulas arguat, utpote quæ tales generent, non autem ædificationem in fide et charitate, quæ finis est legis.

Secundo, vers. 8, docet legem Moysi bonam esse, sed datam esse injustis, non justis, puta Judæis, non Christianis.

Tertio, vers. 12, gratias agit non legi, sed Deo, quod per Christum, qui venit peccatores (quorum, inquit, primus ego sum) salvos facere, ex persecutore factus sit Christianus et Apostolus.

Quarto, vers. 18, commendat Timotheo militiam in fide et bona conscientia. Malam enim conscientiam asserit esse causam naufragii in fide et hæreses.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ, 2. Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. 3. Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiaries quibusdam ne aliter docerent, 4. neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide. 5. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. 6. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, 7. volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 8. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: 9. sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis, et non subditis, impiiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, 10. fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiaris, mendacibus et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, 11. quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. 12. Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, qui fidelem me existimavit, ponens in ministerio: 13. qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 14. Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide, et dilectione, quæ est in Christo Jesu. 15. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. 16. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. 17. Regi autem sæculorum immortalis, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. 18. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, 19. habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa salutem naufragaverunt: 20. ex quibus est Hymenæus, et Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

4. PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI SECUNDUM IMPERIUM DEI SALVATORIS NOSTRI, ET CHRISTI JESU SPEI NOSTRÆ. — Nota: Pro secundum imperium, Græce est *κατὰ ἐπιταγήν*, id est, ut Vatablus et Erasmus, secundum delegationem, injunctionem, demandationem (alludit ad Hebræum *מִלְחָמָה* malachut, de quo Aggæi 1, 43); *ἐπιταγήν* enim significat injungere et demandare quippiam, q. d. Apostolatam mihi ipsi non arrogavi, non arripui, sed Christus illum mihi demandavit, mandato Dei Apostolatam accepi. Plus, inquit Chrysostomus, est esse Apostolum ex delegatione

et mandato, quam ex vocatione, quomodo ad Romanos et alibi dicit se vocatum Apostolum: sicut plus est esse Legatum a latere, quam Nuntium Pontificis.

Quæres: Ubi Deus Pater demandavit apostolatam Paulo? Respondet Theophylactus, cum opera Sanctæ Trinitatis sint indivisa, quod Filius jussit aut Spiritus Sanctus, hoc jussisse et Patrem; atqui Spiritus Sanctus, Actor. xiii, 2: «Segregate, inquit, mihi Saulum et Barnabam in opus (apostolatam inter Gentes) ad quod assumpsi eos.» Rursum Christus ad Paulum, Actor. xxii, sic ait: «In nationes longe mittam te;» et Actor. xxiii: «Te oportet et Romæ testificari.» Ergo ibi Deus Pater, cum Filio et Spiritu Sancto, Paulo apostolatam demandavit.

Secundo, Deus Pater vocatur hic «Salvator,» quia nos per Christum vocat ad salutem, eamque procurat et promovet.

Tertio, Christus vocatur «spes nostra,» id est causa spei nostræ; tum objectiva et materialis: speramus enim Christi visione et fruitione beari; tum effectiva et meritoria: speramus enim non per Mosem legisque cæramonas, sed per Christum ejusque gratiam, tentationum victoriam, periculum et malorum omnium aut tolerantiarum aut liberationem, ac denique æternam salutem et beatitudinem; et hoc proprie intendit hic Apostolus: ubi Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus; tum finalis, quia finis spei nostræ et patientiæ ac omnium virtutis est Christus.

Adverte, Christum per se et immediate esse spem nostram, quia ab eo bona jam dicta speramus; Sancti vero et B. Virgo dicuntur spes nostra mediate, scilicet per Christum: quia speramus per eorum preces apud Christum impetrare bona que petimus; si enim Apostolus Thessalonicenses, *epist.* I, cap. ii, vers. 19, sine Christi injuria, ut ibi dixi, vocat non tantum suam spem, sed et coronam gloriæ, cur non possimus ita vocare Sanctos et matrem Dei?

2. TIMOTHEO DILECTO FILIO IN FIDE. — Pro «dilecto,» Græce est *ἀγαπῆς*, id est germano, ut vertit Ambrosius et Græci, hoc est, ut Syrus, *ingenue*, vero, non adulterino, non degeneri, qui patrem suum spirituale, Paulum scilicet, in fide et moribus per omnia refert: quod est verorum filiorum. Noster tamen ex germano dilectum intelligit per metalepsin; germani enim et ingenui filii præ aliis omnibus diliguntur: sic ad Titum I, 4, ubi Apostolus vocat Titum dilectum filium, Chrysostomus, germanum filium interpretatur.

Nota secundo: *Ἔσθ* in fide tam potest referri ad *ἀγαπῆς*, id est germano, cum Oecumenio, quam ad *πίστιν*, cum Ambrosio et Chrysostomo, q. d. Timotheus mihi est filius, quem per predicationem meam converti, et secundum fidem genui, in qua fide ipse mihi sincerus, verus et germanus est filius, æmulusque paternæ doctrinæ et virtutis.

GRATIA, MISERICORDIA, ET PAX A DEO PATRE. — «Nusquam, inquit ex Chrysostomo Theophylactone, in aliis epistolis posuit Apostolus (in salutatione) misericordiam (sed tantum pacem et gratiam) nisi in hac tantum; idque facit ex magno paternoque affectu majora filio exoptans, tantum metuens ei, atque ejus nomine tremens,» et de stomachi ratione præcipit, simul quod majore misericordia præceptores indigeant. »

Secundam causam addit Rupertus in Apoc. I, Paulum scilicet misericordiam optare Timotheo, eo quod in oburgando et crimina castigando, esset æquo severior: solent enim juvenes Prælati inexperti et acres fervore naturæ abripi, ut statim in momento omnia velint severe reformare et ad disciplinam rigidam revocare; et hæc res multos offendunt, præsertim seniores, qui in junioribus tam rigidam et severam auctoritatem non ferunt. «Quia, inquit Rupertus in I Apoc., Paulus in Timotheo Episcopos omnes informabat, cujus officii summum et necessarium decus est misericordia, et ille (Timotheus), ut fertur, zeli erat ferventioris, idcirco recte et opportune viscerum misericordiam illi, ut haberet, præcipiat. Hinc quoque subdit: Seniores non increpaveris, sed obsecra ut patrem. Hinc rursum commendat ei misericordiam opera et hospitalitatem, quod ut Episcopi observent, qui constanti sunt animarum præsidis, multo maxime tam illis, quam subditis necessarium est.»

Atque hæc volunt esse angeli Ephesi, hoc est Timothei, culpam venientem, quam carpit Christus Apoc. II, quod scilicet primum charitatis fervorem reliquerit: cum enim, ut notat Hugo Cardinalis, acris esset, videretque se ob improborum corruptos mores parum concionando proficere, et Judaizantes sibi valde obistere, decrevit a concionando (quod potissimum est Episcopi munus) cessare: ita nimirum juvenilis acrimonia et fervor retusus, abili in teporem; atque hoc prævidens Paulus, cum hic adhortatur, dicens: «Prædica verbum, icista opportune, impertune,» etc. «Sicut enim, inquit Chrysostomus, hom. De Lazaro et Divite, aquarum vena, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen; et fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt: ita Episcopus et concionator verbum Dei predicare debet, etiamsi pauci illud audiant et convertantur.» Sic Jeremias, cum obstrepentibus sibi Judæis vellet a concionando cessare, jubetur a Deo pergere.

3. NE ALITER DOCERENT. — Græce, *μη ἐπιδοκάζετε*, quod tam significat aliter docere, ut vertit Noster et Syrus, quam alius uti doctoribus (nam ex *ἐπιδοκάζω*, id est alius, et *διδάσκω*, id est magister, doctor componit *ἐπιδοκάζω*, q. d. Alio doctore uti); ac consequenter tam ad doctores, quam ad discipulos pertinet, ut scilicet illi non adeant, nec audiant novos doctores docentes alia a tradita et recepta fide. Unde Vatablus

utrumque sensum complexus vertit, ne diversam sequatur doctrinam: magis tamen videtur Apostolus ad doctores respexisse: insectatur enim hereticos et Novantes, ut patet ex sequentibus, puerque eos novas questiones et dogmata curiosi et fabulosa afferentes, graviter reprimi et retundi ab Episcopo Timotheo. Et ita seipsum explicat Paulus, cap. vi, 3, dum ait: « Si quis aliter docet (Græce ἑτεροδιδασκαλῆν) et non acquiescit sanis sermonibus, » etc. Videtur ergo hic Apostolus ex ἑτερολογία formasse verbum ἑτερολογία, hoc est a nomine doctoris formasse verbum docendi. Vide *Can.* 39. Et hoc est quod aliis verbis dixit, *Galat.* 1, 8: « Si quis evangelicet vobis preterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit (!). »

4. NIQUE INTERDENDI FABULIS ET GENEALOGIIS INTERMINATIS (Græce ἀπερίωτους, quæ finem non habent): QUÆ QUESTIONES PRESTANT MAGIS, QUAM EDIFICATIONEM DEI, QUÆ EST IN FIDE. — Queritur hic, quas et quorum fabulas ac genealogias, Judæorumne an Gentilium hic perstringat Apostolus? Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius referunt hæc ad fabulas et theogonias Hesiodi et Gentilium, quarum studiosus fuit Tiberius Cæsar, de quo Suetonius, cap. vii, in ejus Vita: « Maxime, inquit, curavit notitiam historie fabularis, usque ad ineptias et derisum: nam et grammaticos hujusmodi fere questionibus experiebat: Que mater Heceba? Quod Achilli nomen inter virgines fuisse? Quid Sirenes cantare sint solite, » etc. De his audi et Senecam, *epist.* 89: « Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit: miser erat si tam multa supervacua legisset. In his libris de patria Homeri queritur; in his de Æneæ matre vera; in his libidiniosus Anacreon, an ebriosior vixerit; in his an Sappho publica fuerit; et alia quæ erant discedenda, si scires. Metre setatem tuam, tam multa non capit. »

Verum in melius fidem Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Theodoretus, Ambrosius et alii censent Paulum loqui de fabulis et genealogiis Judaicis, quales nunc extant in Talmud et apud Cabalistas: adeoque Judæorum Rabbini post Christum totam sacram Scripturam fabulis a se confectis contaminarunt, quas ipsi *deverbo*, id est, traditiones patrum nuncupant; de Judæis enim agi patet ex vers. 7, ubi vocat eos « legis doctores, » et vers. 8, ubi legem (utique Mosis) opponit hisce fabulis. Unde S. Ignatius, *epist. ad Magnesianos*: « Ne intendatis, inquit, fabulis aut genealogiis interminatis, et Judaicis inflationibus: quæ scilicet in his inflantur et superbiunt Judi. Talis fabula est, inquit ex S. Augustino

Beda hic, quod docent Deum Adamo duas creandas mulieres, ex quibus texunt genealogias interminatas. Tale est quod fabulantur de bove et cetera initio mundi creatis, qui alantur pro Judæis in tempus Messie, ut cum eo epulentur; et bovem hinc tantum esse, ut mille quotidie montes depascatur. Quod tempore Messie Judea profertur Judæis panes coctos, et vestes sericeæ cuique Judeo accommodatas. Quod Deus quocunque lacrymam emittit, eo quod gentem suam, puta Apostolos, vastari et excindi permiserit; taliaque infinita, partim anille, partim blasphemæ, quorum nonnulla collegit Sixtus Senensis.

Pari modo « genealogias interminatas, » id est longissimas, et quasi infinitas, vocat series generationum, avorum, proavorum, quas perterere solent Judi, imo ad Abraham usque contentionose deducere, ut suum genus et nobilitatem ostentent.

Nota, ante Christum studiosè in Genesi, in libris Paralipomenon, Esdre, Josue et aliis genealogias Judæorum pertexi; idque utiliter, ut nihilum quisque sciret suam tribum, ac terræ portionem sue tribu assignatam, utque constaret quinam essent ex tribu Levi, ac consequenter futuri Levitæ et sacerdotes, Deoque ministraturi. Tertio et maxime, ut constaret Christum Messiam esse ex tribu Juda, juxta Jacobi vaticinium, *Genes.* xl, 10, natum, ut patet *Matth.* 1, *Ves.* 13. Hisce de causis tanta fuit Judæis cura genealogiarum, ut Josephus, lib. I *Contra Apionem*, testatur sacerdotes suas genealogias per duo annorum millia pertexere. Et Eusebius, lib. I *Hist.*, xvii, docet Herodem libros genealogiarum Judaicarum combussisse, sed studiosè a multis fuisse restitutos. Post Christum vero, Judæis et Judaismo eversis, inutilis et inutilis est hæc genealogiarum scrutatio et cognitio; unde cum hic caput Apostolus.

(1) In hoc versu oratio est elliptica. Quid autem in secundo membro suppletum sit, dubitant interpretes. Nonnulli, cum Allio, suppleant, ita et nunc rogo te. ut, sic. Alii ante verba ut denuntiares, subaudiunt vobis: ita facto, vel vide, vel cura.

Tiberius Cæsaris studiosus.

QUE QUESTIONES PRESTANT MAGIS, QUAM EDIFICATIONEM DEI, QUÆ EST IN FIDE. — Id est, quæ scilicet fabulæ et genealogiæ magis alterationes et rixas pariunt, quam profectum in cognitione et cultu Dei, qui consistit in fide et pietate.

Nota: Pro « edificationem, » in Græco Noster, Syrus, Vatablus et alii legunt *ἐκδοτικῶν*: Chrysostomus tamen, Theophylactus et alii legunt *ἐκδοτικῶν*, id est dispensationem et ordinationem Dei, quæ est de fide, ut scilicet per fidem Christi omnes instruantur ad gratiam, pietatem et salutem. Sed prior lectio est *placita et auctor*, ideoque venior.

Tales fabulæ sunt, quales nonnulli confinxerunt de gestis et vitis Sanctorum, quales continet *liber De Infantia Salvatoris*. Hasce fingere ingens est temeritas et crimen; quia, ut Tertullianus ait sub finem *Apologeticæ*, « Invidia diaboli fit, ut fabulæ salutari doctrine admisceantur, ut sic fidei veritas et religio obscuretur et enervetur. » Tales vero fabulæ non sunt quæstiones subtiles quas movent Scholastici, quia fabulæ non sunt, sed fidem et veritatem illustrant ac confirmant; caveant tamen nonnulli, ne nimis quæstiones hasce multiplicent, et multas novas nimis subtiles ac curiosas, parumque utiles adinveniant, movent et tractent; sapere enim oportet ad sobrietatem et ad edificationem.

5. FINIS AUTEM PRECEPTI EST CHARITAS DE CORDE PURO, ET CONSCIENTIA BONA, ET FIDE NON FICTA. — Probat Apostolus *ἐκδοτικῶν*, id est alias Novantium doctrinas, fabulas et genealogias, non esse consentaneas legi et Evangelio. Probat autem sic: Finis legis est parere et nutrire fidem, spem et charitatem; atqui hæc fabulæ non pariunt edificationem in fide, ac consequenter nec charitatem, sed quæstiones et lites: ergo hæc fabulæ non sunt *secundum legem* et Evangelium.

Multi per *preceptum* cum Ambrosio intelligunt legem Mosis, *q. d.* « Finis, » id est perfectio et consummatio omnium preceptorum, quæ continentur in lex Mosis, est charitas. Vel, ut S. Augustinus in *Enchirid.*, cap. penult., « finis, » id est scopus, preceptorum Mosis est, ut homines inducant ad charitatem: sicut finis medicine est, ut hominem sanet.

Secundo, Chrysostomus et Theophylactus intelligunt preceptum Pauli datum hic Timotheo, vers. 5, ut scilicet denuntiaret nonnullis, ne aliter docerent quam Paulus docuerat: pro *precepto* enim Græce est *παράκλησις*, eadem scilicet, qua usus est vers. 3, cum ait: « Ut denuntiares, » Græce *ἐκδοτικῶν*. *q. d.*, inquit Theophylactus: « Si denunties et præcipias eis, ut non doceant aliter, hæc denuntiatione et precepto tuo perniciosa

reprehendi existimant, qui fortassis studio genealogico abusi sint ad conficiendas falsas tabulas genealogicas, quibus, quod Jesus a Davide genus derivare nequeat, demonstrare conabantur.

charitatem; quod si charitatem inserueris, universum dogma pravum abibit; antea enim cum non esset dilectio, invidia erat: ex hac sequetur dominans cupiditas, inde hæc porro docendi ambitio nascebatur, inter hæc hereses suboribantur; nunc autem non sic. » Verum hic vocem generalem precepti nimis arctum et restringit ad unum hoc Pauli preceptum.

Unde *tertio*, cum Vatablo et aliis, per *παράκλησις* intelligit Apostolus Evangelicam legem, ejusque denuntiationem et prædicationem: hoc enim est *παράκλησις*; eandem intelligit vers. 3, cum ait: « Ut denuntiares, Græce *ἐκδοτικῶν*, quibusdam, ne aliter docerent. » Sub hoc enim intelligit a contrario, ut denuntiet et prædicet tam ipse, quam alii omnes doctores eadem secum, seu ea, quæ ipse Paulus docuerat: hoc enim est potissimum Episcopi munus, prædicare scilicet Evangelicam, ut docet Concilium Tridentinum, sess. V, cap. II, *q. d.* Finis Evangelii et legis Evangelicæ, ac consequenter finis prædicationis Evangelii, adeoque finis legis Mosis (hæc enim ordinatur et dirigit homines ad Christi legem et Evangelium) est, docere homines ad charitatem, ut scilicet legem Evangelicam exercendo et prædicando, acquiramus, vel, si acquisita sit, augemus in nobis charitatem sinceram, quæ manet ex corde puro (Syrus, *sincero*) et conscientia bona, et fide non ficta, Græce *ἠνωκτιστο*, id est non simulata, vel que est sine hypocrisis, *q. d.* Finis legis est fides et bona conscientia (sive spes, quam parit bona conscientia) et charitas, non autem fabulæ et genealogiæ interminate, quæ non fidem et conscientiam, sed lites et rixas pariunt.

Nota hic *primo*, tria epitheta et tres causas trium virtutum Theologicarum: charitas enim dicitur *ἐκδοτικῶν* « de corde puro, » id est esse pura, et « *οὐκ ἔσσις* quod puritas signat charitatem: spe, debet esse sibi bene conscia, et vicissim bona conscientia spem parit: fides debet esse sincera, et vicissim sincerus amor veritatis parit fidem. Rursum lex his omnibus consurgit charitas, quasi finis legis Evangelicæ, culmen et apex perfectionis: fides enim sincera parit bonam conscientiam et spem, hæc parit cor purum, atque hæc omnia pariunt denique charitatem. Unde hic tres sunt circumstantiæ et conditiones, ac quasi radii charitatis: *primo*, ut sit ex corde puro; *secundo*, ut sit « ex bona conscientia; » *tertio*, ut sit « *ἠνωκτιστο*, » sed sincera.

Nota *secundo*: Charitatem hic opponit amori mundano et carnali; quo etiam prælo prædonem socium amat, inquit Theophylactus, sed non ex corde puro: quia tantum eo fine diligit eum, ut se in prædando adjuvet; charitas vero est de corde puro. « Cor purum, inquit S. Augustinus, lib. I *De Doctrina Christiana*, cap. v et seq., est vacuum cupiditatis et amore sui, ut nihil aliud

Præceptum est Evangelicam Charitatem.

Finis Evangelii est charitas.

Tria epitheta virtutum Theologicarum.

Ex quo patet, quod si quis præcipiat, ut non doceat aliter, hæc denuntiatione et precepto tuo perniciosa.

(2) Nec eorum sententia et omittenda.

diligetur, quam quod diligendum est, » scilicet Deus in se, et proximus omniaque cetera propter Deum.

Nota tertio: « Bona conscientia » tamen est cum corde puro. Unde S. Ambrosius « bonam conscientiam » interpretatur bonam vitam: hæc enim materialiter est bona conscientia; vel, si omnino præcisè et formaliter loqui velimus, bona conscientia oritur ex corde puro; sicut enim conscientia oritur ex re scita quasi ex objecto suo, ita bona conscientia oritur ex corde puro quasi ex objecto suo; conscientia enim non est aliud quam scientia et testimonium anime, quo anima bene sibi conscia est, sibi que attestatur se pure et sancte juxta Dei legem vivere.

S. Augustinus tamen in *Psal. xxxi*, per « bonam conscientiam, » intelligit spem, quam efficit bona conscientia, quemadmodum desperationem generat mala conscientia. Unde S. Hilarius apud S. Hieronymum: « Morilurus *et* ipsi dicebat: Egredere, anima mea, quid times? septuaginta prope annis Christo servivisti, et mori times? » Sic et Paulus, II *Timoth.*, cap. iv, 7, ait: « Bonum certamen certavi, etc., in reliquo reposita est mihi corona justitie, » etc., *q. d.* hic Paulus: Finis Evangelii est fides, spes, charitas, sive charitas que ex fide et spe consurgit. « Homo, inquit, S. Augustinus, lib. I *De Doctrina Christiana*, cap. xxxix, fide, spe et charitate subnixus, eaque inconscie retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos; atque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. » Idem, serm. *De Laudibus charitatis*: « Ille tenet et quod latet, et quod patet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. »

Nota quarto: Fortitudo charitatis consurgit ex bona conscientia: hæc enim nihil nescit, per hæc Martires coram tyrannis libere fidem professi sunt, et tormenta quævis fortiter sustinuerunt. Hæc interrogatus quidam in vita metu vacaret, respondit: Bona conscientia. Tiburtinus ad tyrannum: « Omnis, inquit, nobis viliis est poena, ubi secreta comes est conscientia. » Tertullianus, lib. *ad Scapulum*, Carthaginiensis Præsidentem in Christianis servientem, cap. 1: « Cum omnia, inquit, severita vestra concertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati, quam absolventi gaudemus. » Idem, *Apolog.* cap. 1: « Licet, inquit, nunc nos sarmenitios et semaxios appellatis, quia ad stipitem dimidiæ axis devincti sacramentorum ambitu exurimur; hic est habitus victorie nostre, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. » Et Justinus, *Apolog.* 1: « Quando magis in nos scivitur, tanto plures pietatem profiteremur, haud secus quam si quis vitæ punctione provocet ad thortem. »

Moraliter hæc tria charitatis epitheta apte præcedunt Latius accommodat S. Bernardus, serm. *De Tribus virtutibus Ecclesie*, ad Patres in Capitulo: « Necessaria, inquit, est, et omnino necessaria navis

isa irremans, tribus compacta lateribus, ut sit charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Puritatem quidem cordis in eo Prælati habeat, ut prodesse desideret, non præesse, ut proprium commodum, et honorem sæculi, et aliud quippiam suum in prælatione non quarat, præter solum beneplacitum Dei et animarum salutem. Sed cum intentione pura, irreprehensibilis quoque necessaria est conversatio, ut forma factus gregis incipiat facere et docere, ne docens audiat a fratre: Medice, cura teipsum. Talis enim occasio plurima damnatio Prælati, plurima subditorum perditio est: oportet enim irreprehensibilem esse eum qui præest, quoniam ea quæ arguit in discipulis, oportet summopere vitare magistrum. Et fide non ficta: quia qualis est in conversatione, talis sit necesse est etiam in occultâ cogitatione, ne videatur fars humilis, et intus sit elatus. » Ubi S. Bernardus bonam conscientiam interpretatur conversationem irreprehensibilem: hæc enim ex illa manat, illic necessario conjuncta est, ut dixi.

6. A QUIBUS QUIDAM ABERRANTES CONVERSI SUNT IN VANILOQUIUM. — Pro « aberrantes, » græce est *ἀποστρέφοντες*, que vox sumpta est a jaenlatoribus, diciturque de iis, qui carentes arte jaenclandi et collimandi in scopum, ab eo aberrant et in æream aliove sua tela conjiciunt. Sic hic Evangelica legis et veritatis scopus est sincera fides, spes et charitas jam dicta: a qua qui aberrarunt doctores, a scopo aberrarunt et in vaniloquium conversi sunt (græce *ἐρητύοντες*, id est converterunt se et sponte deflexerunt), et per vera Christi theologia, mateologia sectati sunt et induxerunt. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius.

Pulchre Aristoteles, II *Ethicor.*, cap. vi, docet virtutem (ac consequenter et veritatem) in medio consistere, esseque quasi centrum in circulo. Hinc « peccare, ait, multis modis contingit, recte vero agere unico. » Et cap. ix: « Difficile est, ait, in unoquoque medium capere, quemadmodum etiam difficile est in circulo medium invenire, vel centrum; » sic difficile est operanti medium, in quo virtus consistit, attingere et ab eo non excidere vel deflectere in extrema; sicuti difficile est si gittario sagitta sua scopum confingere, cum multa modis ab eo deflectere, unico vero tantum eum tangere possit.

7. VOLENTES ESSE LEGIS DOCTORES, NON INTELLIGENTES NEQUE QUE LOQUUNTUR, NEQUE DE QUIBUS AFFIRMANT. — Hinc patet de quibus loquitur Apostolus, et que fuerit causa erroris eorum: videlicet quod de Judæis ad Christum conversis loquitur, qui ambitiosi erant, cupiebantque haberi legis Mosis periti et doctores: hinc sua deuterose et fabulosa, falsaque dogmata asserbant, ac præsertim hoc, quod lex Mosis servanda esset cum Evangelio, quodque ex operibus legis justificaremur. Unde subdit: « Non intelligentes neque que loquuntur, neque de quibus affirmant, »

q. d. Neque principia, neque conclusiones doctrinæ sue intelligunt, neque legem et Scripturam Mosis, neque ejus explicationem capiunt; quia non intelligunt finem et scopum legis esse Christum ejusque fidem, spem et charitatem.

Hinc vere S. Augustinus, lib. VIII *De Genes. ad litteram*, cap. xxv: « Mater, inquit, omnium hæreticorum est superbia, et cupiditas gloriæ, et studium scientiæ. Unde de Scribis et Pharisis, *Matthæi* xxiii, dictum est a Christo Domino: Dilatant phylacteria sua, et magnificant fimbrias. »

8. SCIENS AUTEM QUIA BONA EST LEX, SI QUIS EA LEGITIME UTATUR. — Est occupatio, quia enim vers. præced. carpsit vanos legis doctores, videri poterat Judæis legem carpsisse: hoc enim passim Judæi objectabant Paulo, quod esset legis Mosis hostis et demollitor. Hanc invidiosam calumniam amolitur hic a se Apostolus, *q. d.* Dum legis doctores, sed vanos carpsi, non carpo legem: scio enim et profiteor legem esse bonam; si tamen lege a legitime, *in eis vixit sapientia*, id est si lege secundum ipsam legem et legis mentem utaris: legis autem mens et finis est, homines ad Christum ducere. Qui ergo lege utitur legitime, id est, quemadmodum lex ipsa jubet, hic Christum præfert legi, inquit Chrysostomus et Theophylactus, et non a lege, sed a Christo justitiam expectat: imo, ut sequitur, scit legem non esse positam Christianis qui justæ et sancti sunt, sed injustis et seclera.

Secundo, qui docet et simul facit ea que lex jubet, hic legitime lege utitur; qui vero docet et non facit, utitur lege illegitime, inquit Theophylactus. Præsertim vero lege utitur legitime, qui ita legi studet, eamque facit et explet, ut semper finem legis habeat præ oculis, ut scilicet per legem inflammet in se et in aliis charitatem ex corde puro, ut dixi vers. 3.

9. SCIENS HOC, QUIA LEX JUSTO NON EST POSITA. — Hoc est unum, quod inter cætera requirit Apostolus ad hoc, ut quis legitime lege utatur, ut videlicet sciat eam justis non esse positam, sed injustis, eosque abuti lege, qui per eam terrent justum et ad justum legis minas et severitatem pertinere volunt. Quia sententia Apostolus torquet Judæorum objectionem in ipsosmet Judæos: Vos, inquit, mihi obicitis me legem abolere et carpere; ego id inficior, sed dico legem bonam esse, modo tamen ea que bene utatur: ad quod inter alia requiritur, ut sciat legem non positam esse justis, sed injustis. Vos autem, o Judæi, vultis legem Mosis positam esse justis, scilicet Christianis fidelibus sanctificatis et justificatis per Christum in baptismo, eosque terretis minis legis, allegantes illud *Deut.*, cap. xxvii, vers. 26: « Maledictus, nec eos opere perficit: » ergo vos, o Judæi, lege non ultimi legitime; nec lex vobis bona est, quia propter eam facitis vos exleges Christi et justitie. Hinc toties Apostolus in Epis-

tola ad Romanos et ad Galatas, dicit se et Christianos solutos esse a lege, et Christum nos redemisse de maledicto legis, et, si spiritu duamur, nos non esse sub lege. Judæi enim non nisi legem prædicabant, et per legem excludebant Evangelium. Hæc recte opponit Apostolus, dicens legem non positam esse justis, sed injustis, *q. d.* Lex non est posita Christianis, justis et sanctis; sed Judæis, qui quasi servi duri et rebelles, metu panarum legis, ad legem servandam cogendi erant: Christianis vero pro lege datum est Evangelium, Spiritusque gratiæ et amoris, ut sua sponte faciant id quod lex Dei jubet.

Nota primo: Loquitur maxime Apostolus de Decalogo legis; hic enim positus est homicidii, fornicariis, perjuriis, de quibus sequitur.

Nota secundo: « Lex justo non est posita. » Idem non est, lata non est ad justos coercentes; justorum sponte sua se conformant legi, amore justitiam et obedientiam, non timore poenæ, quam lex transgressoribus minatur; sed lata est, ut minis suis et poenis coercent impios. Patet hic sensus ex sequentibus, *q. d.* Sicuti pedagogo non est opus juveni qui jam satis instructus est, nec minis et flagellis opus est servo qui sponte facit imperata: ita lege minaci et poenæ instantem non opus est justo, qui sponte sua facit bonum et honestum quod lex imperat.

Hinc tertio, male inferunt Libertini, justos non obligari lege etiam Decalogi: in lege enim sunt tria, obligare videlicet, dirigere et coerere, sive punire. Duo priora lex exercit in omnes etiam justos, tertium solum in injustos.

Unde pulchre moraliter S. Chrysostomus: « Justus, ait, non est sub lege, sed supra legem. » Et Augustinus in *Psal.* 1: « Justus, ait, non est sub lege, quia in lege Domini est voluntas ejus; qui enim in lege est, secundum legem agit; qui sub lege est, secundum legem agit: ille ergo liber est, iste servus. » Vide eundem *De Spiritu et Littera*, cap. x.

LEX JUSTO NON EST POSITA, SED INJUSTIS ET NON SUBDITIS, IMPIS ET PECATORIBUS, SCLETRATIS ET CONTAMINATIS, PARRICIDIS ET MATRICIDIS, HOMICIDIS, FORNICARIIS, MASCUOLORUM CONCUBITORIBUS, FLAGITARIIS, MENDACIIS ET PERJURIS, ET SI QUID ALIUD SANÆ DOCTRINÆ ADVERSARIAT. 11. QUE ESSE SECUNDUM EVANGELIUM GLORIÆ BEATI DEI, QUOD CREDITUR EST MIHI. — Nota primo: Pro « injustis, » græce est *ἀνομιαις*, id est *inobediens*, id est *inobsequentibus*, ut verbi S. Ambrosius, qui scilicet subdi et obsequi voluit, sed inobedientes, refractarii et rebelles sunt, ut verbi Syrus, de quibus dicitur *Jeremia* ii, 20: « A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea (præcepta quibus lege mea te alligavi), et dixisti: Non serviam. »

Nota secundo: Pro « scleratis, » græce est *ἀσεβεις*, quod Vatablus et Erasmus vertunt, *irreverentes*, qui scilicet nec Deum, nec homines reverentur.

Duplici se quis legi legitime utitur.

Virtus in medio, sicut centrum in circulo.

Justus non est sub lege, sed supra legem.

locum enim deducitur ab *ἀγία*, id est veneror, colo, revereor.

Rursum pro «contaminatis,» græce est *βεβήκας*, id est profanis et arendis a saceris. Arendi autem sunt contaminati aliquo piaculo, præsertim tali, quod sacra violantur et profanantur. Sic Esau, *Hebr. II, 16*, vocatur *profanus*, eo quod propter escam vendidit primogenita; jus enim primogeniture, ab annexam illo tempore sacerdotii dignitatem, sacrum erat.

Nota *tertio* : «plagiarii» hic vocantur, non, ut Lyranus et Hugo, qui plagas et verbera aliis infligunt; sed qui aliena mancipia rapiunt et sibi vindicant, aut qui homines liberos in servitutum abripiunt, eosque pro mancipiis vendunt aut emunt; hoc enim significat Græcum *ἁδραπέδοις*; *ἁδραπέδων* enim est mancipium, inde *ἁδραπέδοις* dicitur, id est plagiarius; quemadmodum enim, inquit Erasmus, qui sacra furantur, sacrilegi; qui de publico, aut de principis fisco, peccatores; qui autem jumenta aliena abripiunt, abigei: ita qui liberos aut servos alienos abducunt et furantur, plagiarii a iureconsultis vocantur; et furtum ipsum, plagium nuncupatur, quod pœna mortis plecti jubet Dominus, *Deuter. XXIV, 7*.

Nota *quarto* : Apostolus «sanam doctrinam» dicit esse eam, que est secundum Evangelium, quia scilicet Evangelium non est aliud quam sana norma doctrinæ; adeoque doctrina Evangelica est ipsa sana doctrina, ut, quidquid contrarium aut conforme est sanæ doctrinæ, contrarium aut conforme sit Evangelio; et omne peccatum quod adversatur sanæ doctrinæ, adversetur quoque Evangelio. Rursum hisce verbis, ait Theodoretus, ostendit Apostolus, quod ea que observatu sunt necessaria ex lege Moïsi, convenient cum Evangelio, eoque præscribantur: ut præcepta Decalogi: cætera vero legis Moïsi ceremonialia et judicialia præcepta supervacanea jam esse. Atque hoc ipso tacite elidit dogma Judæizantium, volentium legalia miscere cum Evangelio. Contra quos hic docet Apostolus Evangelium sufficere, utpote quod contineat omnem sanam de fide et moribus doctrinam, adeoque sit ipsa sana doctrina.

Nota *quinto* : Vocat «Evangelium gloriæ,» id est gloriosum. Sic enim I *Cor. III*, opponit Evangelium legi Moïsi, quod illud præ hæc fuerit gloriosum, quia lux fuit quasi umbra, Evangelium est quasi lux, splendor et claritas. *Secundo*, «Evangelium gloriæ,» id est quo glorificatur Deus beatus et beatificatur, ait Vatablus; sic II *Cor. IV, 4*, vocat «Evangelium gloriæ Christi,» quia in Evangelio glorificatur Christus, Christi redemptione, gratia, resurrectione et divinitas. *Tertio*, vocat «Evangelium gloriæ,» quod promittit et ducit nos ad æternam gloriam. Ita Chrysostomus et Theophylactus. *Quarto*, vocat «Evangelium gloriæ,» eo quod propter Evangelium pati pro Christo non sit ignominiosum aut stultum, sed gloriosum. Et

Evangelium gloriæ, id est quo glorificatur Deus beatus et beatificatur.

ideoque addit *gratiosum*, quod in his malis sit vera beatitudo. Ita Chrysostomus et Theophylactus. *Quinto* : «Evangelium gloriæ,» id est gratiæ, q. d. Evangelium annuntiat et adfert nobis gratiam Dei gloriosam. Sic dicitur *Rom. III, 23*: «Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei,» id est gratia Dei gloriosa. Per metonymiam hic sensus coheret cum primo, estque simplicissimus et planissimus; dicitur enim «Evangelium gloriæ Dei,» quia in eo Deus suam gloriam et magnificentiam, tum in multiformi gratia hujus vite, tum in celestis gloria in oculis ostendit et manifestat.

Nota *sexto* : Apte hic Deum vocat *beatum*, ut notet fontem gloriæ Evangelii jam dicti; ex immensa enim Dei bonitate et felicitate provenit, quod dignatus sit hominem perditum reparare, et per hoc gloriæ Evangelium, se suamque gloriam ac beatitudinem homini communicare. Sicut enim in inope et invidio indigentia et miseria causa est invidiæ, ita felicitas in beato causa est misericordiæ; bonum enim in seipso redundans in alios se effundit. Hæc Deus hebraice dicitur *יְהוָה שְׂדוּדָא*, id est sufficiens, abundans et honorum omnium cornucopiæ, ut dixi *Philip. IV, 11*.

12. GRATIAS AGO EI (DEO) QUI ME CONFORTAVIT, *Vers. 12*. CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO. — Ita Romana, Græca et Græci, ac Syrus. Delenda ergo præpositio *in*, cum qua quidam sic legunt, *in Christo Jesu*, sensus est: Gratias ago Deo meo, qui me confortat ad Christi gloriam, qui sollicit vires et animos mihi suppediat, ut Christum potenter et intrepide annuntiem. Dixerat Apostolus, *vers. 11*, sibi a Deo creditum esse Evangelium, hinc Deo jam gratias agit (1).

Potest *secundo*, *Christo* exponi, per Christum, et Christi gratiam confortat me Deus. «Quia, ait Theophylactus, dixerat: Quod mihi creditum est, ne videatur ideo gloriari, ad Deum istud refert: Illi, inquam, gratia debetur, qui vires mihi dedit, ut valeam recipere tale onus; adversus enim quotidianas mortes consistere non erit humane potentie. Hæc revera est humilitas et animus imine alta spirans, vel superbiens. Nostra vero humilitas non est *κατανενοησέν*, id est humilium rerum affectus, sed est *κατανενοησέν*, id est, in verbis tantum consistens et lingue humilitas.»

QUIA FIDELIEM ME EXISTIMAVIT, PENSNS ME IN MINISTERIO — apostolatus et predicationis Evangelii. Refert hæc verba ad *gratias ago, q. d. Gratias ago Deo hoc nomine, quod fidelem me existimaverit, id est fidelem me existimando, crediderit Evangelium, ut dixi vers. præced., et posuerit me in ejus ministerio; est ergo metalepsis talis, quasi*

(1) Digressio hæc a vers. 13 ad 17 non coheret cum officiis que Paulus Timotheo in superioribus describit; sed quia præstanti religioni Christiane mentionem fecerat, obiter commemorat vocationem suam, et felicem se predicat, quod dignus esset habitus, cui Christus tantum manus doctoris evangelici conderet, quod non amplius esset Judæus, sed Christi Apostolus.

Miseri causa est invidia, felicitas causa est misericordiæ.

valgo dicimus: Dominus meus fidelem, vel sufficientem me existimavit et judicavit ad œconomiam suam domus, id est credidit mihi œconomiam suam domus.

Hinc patet, «fidelem» hic non significare credentem, aut Christianum, ut vult Ambrosius et alii, sed qui fidus est et qui bona fide credita sibi negotia administrat.

Secundo, Hesselus et alii exponunt: «fidelem me existimavit,» id est fecit. Sic *Philip. II* dicitur Christus rapinam non esse arbitratus, id est non fecisse rapinam, juxta quasdam: verba enim Hebræorum mentalia subinde per realibus sumuntur, et contra, ut dixi *Can. 36*. Verum hic sensus videtur esse durior ac præter mentem Apostoli: esto a parte rei verum sit Deum prius fecisse Paulum fidelem, quam eum esse fidelem existimavit. Sed hoc non intendit hic Apostolus, tantum enim pro apostolatu et credito sibi Evangelio gratias agit Deo.

Tertio, Theophylactus proprie accipiendò verbum *existimavit*, sic explicat, dicens, quod Paulus præ Juda rejecto electus sit ad apostolatum et predicationem Evangelii, ex eo evenisse, quod Deus meliorem et fideiorem Pauli indolem præviderat et præcognoverat, talemque fore judicaverat; et quod Paulus pro hoc Dei judicio Deo gratias agat, sicut œconomi gratias agunt dominis, quod se fideles et industrios judicent, apostolicum ad œconomiam hoc ipso, quo illam illis creant et committunt. Post hanc prævisionem, iudicium et electionem Dei, inquit Theophylactus, Deus Paulo robur addidit, ut opus sibi creditum fideliter explet et perficeret, ut scilicet intrepide et efficaciter evangelizaret. Sed hic sensus aliquid pelagianismi sapit; nam, ut docet Augustinus *De Prædest. Sanct.*, II, III, XX, Deus Paulum et quemcumque alium non elegit ad gratiam, ac consequenter nec ad apostolatum (videtur enim Deus cum Paulum vocavit ad fidem et gratiam, hoc ipso simul destinasse eum et vocasse ad apostolatum, ut colligitur *Act. IX, 15*), quia dignus et fidelis erat; sed potius vocando et eligendo eum dignum et fidelem fecit. Fateor tamen potuisse Deum secundario ad naturales Pauli dotes respicere, atque ob eas potius illum, quam alios esse carentes ad apostolatum eligere, v. g. ob id quod Paulus in lege peritus erat, quod acris ingenii, ferventis naturæ, quod generosa esset indolis: id enim indicare videtur Augustinus, lib. XIIII *Contra Faust.*, LXX. Ad similes agendi regendique dotes respexisse Christum in S. Petro, dum eum toti præfeci Ecclesiæ, docet S. Thomas, II, *Quæst. CLXXXV, art. 3*, ad 4; et in corp. ad eas in quolibet Episcopo deligendo respiciendum esse asseruat. Similia habet *Quæst. LXIII, art. 1 et 2*, ubi et causam assignat. Verum prima et potissima causa, cur Paulum præ aliis elegerit, non tantum ad gratiam, sed etiam ad apostolatum, fuit liberalis Dei voluntas et specialis misericordia in

An Paulus electus ad apostolatum, quia dignus et fidelis erat?

Paulum, non in ceteris. Unde illi apostolatum suum acceptum refert, et gratias agit hic Paulus.

13. QUI PRIUS BLASPHEMUS FUI, ET PERSECUTOR, KY CONTUMELIOSUS. — Pro «contumeliosus» græce est *βεβήκας*, quod, ut videt Vatablus, *violentum* significat, qui vim infert alicuique opprimit; S. Augustinus, *hom. 25* inter 80, verit. *injuriousum*; nimirum hoc est, quod ait Lucas *Actorum, cap. IX*: «Saulus adhuc spirans rinarum et cædis.» Paulus enim hic per gradationem peccatum suum exaggerat. Gradus *primus* est, quod Christum blasphemaverit et verbis maledixerit. *Secundus*, quod factis et re ipsa persecutus sit. *Tertius*, quod vim attulerit et percusserit Christi fideles, conatusque sit Christianum nomen aboleri.

SED MISERICORDIAM DEI CONSEQUITUR SUM, QUIA IGNORANS FECI IN INCREDULITATE. — Græce *ἄβη*, id est, sed, et misericordiam, etc., *g. d.* Non solum veniam consecutus sum, sed etiam misericordiam, ut fierem Apostolus, quia per ignorantiam ex incredulitate ortam peccavi: nesciebam enim me Messiam persequi; zelo legis agebar, ac pro lege Moïsi, quas, pro Dei lege pugnam.

Dices: Apostolus se dicit misericordiam consecutum, quia ex ignorantia peccavit; ergo hoc ipsum quod peccaverit ex ignorantia, causa (hanc enim significat conjunctio causalis *quia*) fuit, cur Deus miseris sit Pauli eumque vocaret ad fidem et gratiam: ergo peccatum vocationis et primæ gratiæ, ac consequenter ipsius prædestinationis, potest ex parte hominis dari initium, imo et causa: quod tamen damnat Concilium Arausicanum, *Canon. 5, 6 et 7*.

Pro responsione nota cum Ludovico Molina, I *part., Quæst. XXIII, art. 4, disp. 1*, membr. 12, licet prædestinationis et consequenter primæ vocationis et gratiæ, nulla detur ratio, dispositio, meritum ex parte hominis, cum homini obveniat ex mera Dei voluntate et misericordia; tamen subinde Deus in æterna sua prædestinatione ad circumstantias et usum liberi arbitrii prævisum attendit; verbi gratia, hic in Paulo, ad qualiteram ignorantiam, que malum usum liberi arbitrii excusabat, respexit tanquam ad conditionem, non propter quatuor aliam tanquam causam congruentem Paulum vel prædestinare, vel tam magnifico, et ad tam magna vocare et eveheret (sic enim initium gratiæ et salutis esset ex bono usu liberi arbitrii, quod damnat Concilium Arausicanum et Ecclesiæ); sed attendit et respexit Deus ad hanc Pauli ignorantiam tanquam ad conditionem sine qua non stantisset illum ita prædestinare et tam magnifice vocare, puta si Paulus, *ex malitia*.

Ad argumentum ergo respondeo negando primam consequentiam, ac consequenter ceteras que inde deducuntur. Ad consequentiæ prohibitionem respondeo, conjunctionem «quia» causam significare non directam et propriam, sed indirectam, ac tantum amoventem impedimenta: igno-

Prædestinationis non datur causa sine qua non, v. g. ignorantia in Paulo.

rantia enim purgavit et amovit certam et destinatum malitiam, quae est impedimentum divinae vocationis et gratiae: Paulus enim peccans ex ignorantia, non quidem dignior, minus tamen indignus fuit venia, minusque impedivit Dei vocationem, quam si peccasset ex malitia, uti fecerunt Scribae alicuius Iudaei, inquit Theophylactus.

Adfertur effectus gratiae Christi, quod Paulus non peccavit ex malitia, sed tantum ex ignorantia? Addunt aliqui cum Gabriele Vasquez, hanc impedimenti amotionem proficisci ex gratia Christi, sive gratiam Christi praeservasse Paulum ne peccaret ex malitia, itaque impediret Dei vocationem: putant enim omne quaecumque, etiamsi negativum tantum, vocationis initium, manare ex gratia Christi; sed nihil est, quod cogat consuequendo extendere gratiam Christi; Concilia enim et Patres, cum negant initium fidei et salutis esse ex nobis, loquuntur de initio proprie dicto, quod positivum et proprie orditur et inchoat viam ad iustitiam et salutem, ad eamque hominem disponit et ducit; aliqui enim pari modo fateri cogemur, omnia opera moraliter bona, quae faciunt infideles antequam fidem Christi suscipiant, esse ex gratia Christi, ac consequenter esse opera gratiae, non naturae; cum tamen Apostolus ad Roman. II, et ex eo Doctores omnes doceant, Gentes naturaliter, id est solis naturae viribus, multa facere bona, quae lex praescribit, uti sunt honorare parentes, iustitiam colere, vitare homicidium, furtum, &c.

Morelitter hinc deduces, sanum consilium dandum peccatoribus etiam obstinatis, scilicet, ut si omnino peccata vitare nolint, aut aegre possint, saltem majora vitent et minus peccent: eo enim sepius et facilius a Deo illuminabuntur, quo minore ponunt obicem. Id exemplis pluribus ex *Vitis Patrum* petitis, est facile confirmare.

14. SUPERABUNDAVIT GRATIA DOMINI NOSTRI, CUM FIDE ET DILECTIONE, QUAE EST IN CHRISTO JESU. —

Pro «superabundavit», graece est *ὑπερἄβηκεν*, id est supermultiplicata est, supercrevit, exuberavit, superabundavit. Ubi advertit primo, *ὑπερἄβηκεν*, id est *super*, significare comparationem et praecellentiam gratiae praerecredulitate, blasphemis et persecutoribus, nulli, q. d. Magnus ego fui Christi et ecclesiae persecutor et hostis, magnus peccator et blasphemus; sed longe major fuit Dei gratia, quam me ex lupo ovem, ex Saulo Paulum, ex persecutore predicatorum, ex blasphemio Apostolum effecit.

Addunt alii: *superabundavit*, id est pluribus aliis beneficiis post commissum mihi Evangelium me prosequens est Dominus, dum scilicet mihi dedit donum linguarum, prophetiae, curationum, aliarumque gratias. Verum non tam has gratias, quam gratiam justificationis et reconciliationis cum Deo peccatae hie Paulum, patet ex versu sequenti et praecedenti. Totus enim abripitur in Dei clementiam, qua se tantum peccatorem in gratiam recipit. Prior ergo sensus est genuinus.

Adfertur effectus gratiae Christi, quod Paulus non peccavit ex malitia, sed tantum ex ignorantia?

Peccatoribus dicitur ut minus peccent.

Nota secundo: Significat Paulus effectus gratiae, cum addit, «cum fide et dilectione», ubi fidem priori suae incredulitati, dilectionem persecutioni et crudelitati suae opponit. Unde Vatablus verit, *donavit mihi affatim Deus gratiam suam, et fidem in Christum, et dilectionem erga sanctos*, Christianos scilicet, quos ante persequatur et inter necino odio prosequeretur et persequatur. Hinc et Syrus verit, *multiplicata est in me gratia Domini nostri, et fides, et dilectio, quae est Jesu Messichio*.

Aliter *ὑπερἄβηκεν*, id est «cum fide et dilectione», exponit Chrysostomus, quasi vocula *ὑπερἄβηκεν* significat rationem mediis, sive instrumentis, ut sit sensus: Hanc gratiam et haec dona consecutus sum per fidem et dilectionem. Prior sensus planior est et simplicior.

Nota tertio: Verbum *superabundavit*, non tantum ad gratiam, sed etiam ad fidem et dilectionem referendum est, q. d. Cum gratia abunde in me effusa, superabundavit pariter in me effecta gratiae, videlicet fides et dilectio: fuit enim Paulo aspirata robustissima fides et ardentissima dilectio, qua quasi ignis totum orbem pervagatus omnes inflammavit et accendit.

Nota quarto: Vocat «fidem et dilectionem, quae est in Christo», q. d. Quam habeo per Christi gratiam et merita. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Eusebius, Primasius. Secundo, Vatablus, «in Christo», id est erga Christum et Christianos. Tertio, et magis genuine ad mentem et phrasim Apostoli, fides et dilectio in Christo, est fides et dilectio Christiana, sive quae propria est Christianorum, Christi filiorum, quae divina, supernaturalis, caelestis et spiritualis est dilectio: hanc enim opponit dilectioni naturali infidelium, quam vel naturae, vel sanguinis, vel beneficiorum, vel studiorum et officiorum communio parit ac producit.

15. FIDELIS SERMO, ET OMNI ACCEPTIONE DIGNUS: QUOD CHRISTUS JESUS VENIT IN HUNC MUNDUM PECCATORES SALVOS FACERE, QUORUM PRIMUM EGO SUM. — Dixerat Apostolus in se superabundante gratiam Dei, iam apto ordine subjungit eandem gratiam patere et paratam esse omnibus peccatoribus, ut ita consoletur fideles, quibus similis gratia obsequitur, et infideles excitet ad eandem gratiam capiendam. Unde generalem proponit sententiam, quasi axioma et basin suae predicationis et Evangelii, quam Judaicis fabulis, de iustitia legis operibus acquirenda opponit, dicens: «Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere», q. d. Christus solus est iustificator et salvator, non Moses, non lex, non opera legis aut naturae, q. d. Iudaei jactant suam *ἀνοδοσίαν*, id est traditionem et Cabalam, sed nugosam et fabulosam: ego veram et certam *ἀνοδοσίαν*, id est traditionem et Cabalam a Christo ipso acceptam vobis trado, scilicet quod Christus solus sit qui peccatores et expiet et salvet. Si quis ergo cupit Cabalam, hanc

Fides et dilectio dicitur tripliciter.

ut indubitata acceptet. Cabala enim vetus fuit patrum traditio, qua olim a patribus sacra mysteria, maxime quae de regno Christi erant, ore ad os per successorem tradebantur; quae alius ab alio accipiebat. Unde Cabala hebraice idem est quod acceptio, id est accepta doctrina et traditio, a radice *קבל* *libel*, id est accepti. Cabala ergo vetus certa et indubitata fuit, quam Esdras rediens et Babylone, et alii patres tradiderunt; sed Cabala Iudaeorum recentiorum fictitia est et Pharisaica.

Nota primo: Pro «fidelis» graece est *πίστις*. Nonnulli, teste Hieronymo ad Marcellam, legerunt *ἡλικία*, id est, *humanus*. Ita legit Ambrosius et interpretatur sic: «humanus», id est iucundus, gratus; et hoc consentit cum eo quod sequitur, «et omni acceptione dignus». S. Augustinus legit quoque «humanus», sed aliter explicat: ait enim hunc sermonem sic esse humanum et divinum, sicut Christus est Deus et homo; maluisse vero Apostolum vocare humanum, quam divinum, quia agebat de adventu Christi in carnem. «Si, inquit, ille homo dicitur humanus, qui in domo suscipit hominem, quam humanus est Deus, qui in seipso suscipit hominem?» Secutus est Augustinus significationem Latinae vocis *humanus*: nam Graeco *ἡλικία* nihil tale significat. Verum communiter Syrus, Graeco, Latini et Graeci legunt *πίστις*, id est fidelis, hoc est, fidus, certus, indubitatus, verax, fide dignus, non fabulosus, non mateologus, et illi Iudaeorum, vers. 4 et 7. Sic Apoc. cap. xxi, vers. 5, dicit S. Joannes: «Et dixit qui sedebat a throno, etc. Haec verba fidelissimo sunt», id est certissima et verissima. E contrario *Jerem. xv. 18*, «aque infideles» vocantur, id est instabiles et fallaces, quae e fonte suo videntur perenniter fluxurae, et tamen in aestate deficiunt, cum maxime iis indigent homines. Sic Act. xiii, 34, dicitur: «Dabo sancta David [id est sanctas et munificas promissiones Dei David factas: unde noster Interpres *Isaia lv. 3*, verit, «misericordias David,» hoc est Davidi promissas] fidelia», id est firma et stabilia; respondet enim *πίστις* Hebraeo *נאמן* *neeman*, vel potius *נאמן* *neum*. Sic enim Propheta, ubi certum oraculum deponunt, ut a se dicendis fidem et attentionem conciliet, praemittere aut subdere solent: *Neum Adonai*, hoc est, dicit Dominus, vel potius, dictum Domini. *Neum* enim non est verum praeteritum: sic enim dicendum esset *naam*; sed participium est, aut potius nomen. Rursus, *neum* non significat simplex aut quodlibet dictum, sed certum et indubitatum, certaque fide credendum, ut idem sit, quod oraculum. Hinc Apostolus apte Hebraeum *neum* verit, *πίστις* et *ἡλικία*, hoc est, fidus et certus sermo. Unde sicut Propheta, sic et Paulus haec verba, cum dicitur est rem certam et indubitatum, solet praemittere vel subijcere, uti ad Titum ut, 7 et 8, velut asseveratione confirmans id quod dixit aut dicitur est. Unde apte Forerius et alii illud *Isaia 1, 24*, «Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum» (ubi

pro ait, hebraice est *neum*) vertunt, *idcirco dicitur sermo Jehova saboth*.

Nota secundo: «Omni acceptione dignus», id est omni studio et gratiarum actione acceptandus, dignus quem omnibus modis acceptemus et amplectamur. Graeco enim, *ἀποδοσις* significat non tantum acceptationem, sive acceptationem, sed etiam approbationem. Unde verbi hic potest, «fidelis sermo, et omni approbatione dignus.» Adverte hic, hoc epithetum apte respondet priori; ex eo enim quod sermo sit certus, verax, adeoque sit oraculum, sequitur eum omni modo esse acceptandum et amplectendum. Alludit Apostolus ad verba Hebraea *נאמן* *neum*, et *נאמן* *heemin*, quae uti litteras habent easdem, sed transpositas (*neam* enim fit *aman*, si litteram n transponas: *aman* autem est radix verbi *heemin*), ita significatione sibi invicem respondent: nam sicut verbum *neum* significat cerle et indubitata loqui, veritatem ipsam dicere certo et infallibiliter, ita quod est solius Dei loquentis, item Prophetarum et Apostolorum certo verbum Dei proloquentium, quique a Deo immediate vocati testimonium habent, quod errare non possint; adeoque sicuti *neum* proprie significat ipsum Dei verbum, et prime veritatis oraculum, ita rursus verbum *heemin* significat fidem certo adhibere illi verbo Dei quasi oraculo, licet credere et acquiescere firmitate quadam et certitudine divina ac supernaturali, quae omnem opinionis, scientiae, auctoritatis et sensationis humanae certitudinem longe superat. Haec ergo duo verba Hebraea *neum* et *heemin* correlativa sunt et sibi mutuo respondent; et sicuti *neum* est verum certo et infallibiliter dicentis, ita *heemin* est certo credentis et fide apprehendentis et amplectentis *neum*, id est oraculum. Eodem modo respondet hie sibi invicem haec duo: «Fidelis sermo et omni acceptione dignus», q. d. Est *neum*, cui oportet *heemin*, id est credere; vel *neum*, dignum *aei* *neaman*, hoc est oraculum fidum, dignum omni fide et tidae amplexu. Ex eo enim quod sermo sit fidus et infallibilis, sequitur cum omni acceptione esse amplectendum, tum ulnis fidei, tum consequenter ulnis spei, invocationis, dilectionis et gratiarum actionis, ut scilicet ejus participes fiamus, et participes facti, gratias pro tanto dono quas par est, Deo agamus.

Nota tertio: «Fidelis sermo et omni acceptione dignus», est is, qui sequitur, scilicet, «quod Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.» Ubi primo, contra Iudeos significat legem, et legis praemonias inefficaces esse ad salutem; illam enim attulit Christus: imo propter eam afferendam, ad nos descendit e caelo. Secundo, significat finem incarnationis et totius oeconomiae Christi in carne fuisse, ut peccatum aboleret, et peccatores salvaret. «Non veni, inquit, *Matth. cap. ix*, vocare

Correlativa sunt neum et heemin, id est esse certum sive credendum et credendum.

Neum et heemin sunt.

justos, sed peccatores ad penitentiam; et non esse opus valentibus medico, sed male habentibus. » Tolle morbos, tolle vulnera, nec opus erit medico: tolle similiter peccata, non erit opus Christo. Hinc *tertio*, discimus enormitatem peccati (« magnus, inquit Augustinus, serm. 9 *De Verbis Apostoli*, de celo venit medicus, quia magnus per totum orbem terre jacebat agrotus »); ac consequenter omni ope entendum esse, ut a peccato, quod tantum est malum, emergamus, ne Christus nobis frustra venisse videatur. « Cum audis, inquit Augustinus supra, Christum venisse in hunc mundum ut peccatores salvos faceret, noli dormire in dulci strato peccati, sed audi Paulum dicentem: Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus. » *Quarto*, dicitur immensam Christi clementiam et charitatem, quia peccatores etiam se persequentes (qualis erat Paulus) insequitur, convertit et salvat. Audi S. Augustinum loco citato: « Homines desperate agrotabant, et ipsa aegritudine qua mentes perdididerant, etiam medicum cedebant, quin et occidebant, illi autem etiam cum occideretur, medicus erat, vapulabat et curabat; paliebat phreneticum, nec deserebat agrotum; tenebatur, alligabatur, percutiebatur, irridebatur, suspendebatur, et medicus erat. Agnosce phreneticos, agnosce et medicum: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sevebant, et medici sanguinem seviendo fundebant; ille autem etiam de ipso sanguine suo aërotis medicamenta faciebat. »

QUORUM PRIMUS EGO SUM. — Fabulati sunt quidam hæretici, teste Sancto Thoma hic, animam Ade primini hominis et peccatoris, in Paulum fuisse transfusam, ideoque Paulum fuisse peccatorem: sed hoc est Pythagoricum delirium. Primum ergo se dicit, non tempore, sed calparum magnitudine, quia princeps fuerat persecutorum Christi, ait Anselmus; ergo « primus, » id est maximus et pessimus. Ita Augustinus, serm. 9 *De Verbis Apostoli*: « Nemo enim, inquit, acrior Paulo inter persecutores, nemo ergo prior inter peccatores. » Idem in *Psalm. lxxi*: « Quid ergo, inquit, est primus? antecessans omnes non tempore, sed magnitudine. » Vide quam se humiliet Paulus. Primus, inquit, sum, id est, ut Theophylactus et Oecumenius explicant, in immensum peccavi, et ad omne malitie genus perveni, hinc indigni omni Dei misericordia et universa ejus clementia, non parte aliqua, quemadmodum ii qui ex parte tantum peccarunt. « Humilitas ista, ait Ambrosius, non ad diminutionem ejus proficit, sed ad gloriam; et hæc accusatio ejus est, hunc vero Salvatoris. »

Quæres: Quomodo vero potuit sentire et dicere Apostolus se peccatorem esse primum, id est maximum, cum sciret Judam, Caiapham, Herodem aliosque plurimos gravius longe peccasse?

Mira
Christi
clementia
quod
immensa-
tur Pau-
lus
aliosque
peccato-
res.

Animum
Ade
fuisse in
Paulo
transfusi-
sum ha-
retici.

Quo nec-
ne vere
dicit
Paulus
esse
maxi-

Respondet D. Thomas et insinuat Ambrosius, non velle dicere Apostolum se esse omnium omnino peccatorum primum; sed respectu tantum Judæorum illorum, qui a Pilato Christo crucifigi postularant, ac postea a Petro et Apostolicis conversi, et penitentes gratiam et salutem adepti sunt. Sed hi restringunt nimis verba Apostoli, cum Apostolus ea non restringat, sed generaliter loquatur de omnibus peccatoribus, quos, ut præmisit, Christus venit salvos facere; atqui Christus non solos illos Judæos, sed et omnes omnino homines et peccatores venit salvos facere: ergo omnium omnino peccatorum se primum esse dicit Apostolus.

Respondeo ergo, Apostolum bene illustratum Spiritu Sancto agnovisse gravitatem suorum peccatorum, et in eam ex vera humilitate omnes mentis oculos intendisse; aliorum vero peccata non ita considerasse et inspexisse, quin de quolibet præsumeret meliora, vel quod plures haberet causas ipsum excusantes et peccati gravitatem minuente: sicut qui gravi dentium, capitis, vel oculorum dolore laborat, dicit nullum dolorem hoc esse majorem, sed suum omnium esse maximum, quia scilicet suum sentit per experientiam, aliorum vero dolores tantum considerat per speculationem, itaque suis sibi dolor videtur, et revera in suo sensu maximus est: ita Pauli peccatum ipsi in suo sensu videbatur esse maximum.

Sic et S. Franciscus solebat dicere se peccatorem esse maximum; et rogatus quomodo id vere dicere posset, respondit: Si Deus maximum latroni illam gratiam fecisset, quam mihi, is multo melius ea usus fuisset, sanctiorque quam ego evasisset, *q. d.* Si, seclusa gratia, me considero, video in me tantam infirmitatem et proclivitatem ad malum, quantum in nullo alio video, ac proinde puto me maximum futurum fuisse, ac fore peccatorem, ni Deus infirmitatem meam sua gratia roborasset, ac indies roboraret.

Dices: Ignorantia Paulum excusabat. Respondeo: Non excusabat, sed minuebat tantum peccatum; erat enim vincibilis, ac consequenter culpabilis: poterat enim et debebat Apostolus ex Scripturis, quarum peritus erat, ex tot Christi miraculis, ex tanta sanctæ ac vitæ, et doctrine tot Christianorum, et sanctorum Christo credentium, agnoscere Christum esse Messiam mundi redemptorem. Peccatum autem Pauli in se maximum erat, persecui scilicet Christum Deum et hominem; considerabat ergo suam obstinationem Paulus, qua pro judaismo pugnavit, Christum Deum et hominem, ejusque Ecclesiam impugnaverat adeo pertinaciter, ut, si potuisset, voluisset eam funditus evertere et interminere, et ad hanc rem ceteris se ducent præbuerat; atque hoc peccatum suum ita ei grave videbatur, ut aliorum peccata, in que leviter tantum et generatim intendebat, viderentur ei

minime
peccato-
rum?

Quo nec-
ne vere
dicit
Paulus
esse
maxi-

Socrates
dicitur
hoc
monstrari
quod
sibi se-
ret.

Paulus
loquitur
de se
quasi
constitui
in pe-
nis natu-
ralibus,
sed sua
gratia

esse leviora. Considerabat enim peccatum suum in se, ignorantiam vero suam aliasque circumstantias minuente peccatum non considerabat. Vide dicta *Philipp. ii*, 3. Sic Salomon, *Prov. xxx*, 2: « Stultissimus, inquit, sum virorum, » id est mihi esse videor: dum scilicet me, ac mea quæ ex meipso habeo, seclusa Dei illuminatione spectro, dum sapientiæ meæ parvitatem intime perpendo ac penetror, eamque tum cum mea ignorantia, tum cum divina sapientiâ comparo; videor mihi esse ignorantissimus, adeoque esse abyssus ignorantie et stultitiæ, quodque ceteri, quorum ita mihi perspecta non est ignorantia, longe sint me sapientiores, præsertim in sapientiâ practica, atque in cognitione sui et Dei. Unde putant Hebræi Salomonem suæ idololatriæ et peccatorum consuevit penitentem hæc dixisse, licet se refellat Lyranus, qui cum Abulensi sentit Salomonem impenitentem mansisse, ac esse damnatum; de quo alias. Summa, hisce verbis docere nos vult Salomon, sapientiam veram maxime sitam esse in cognitione sui, sæque miserie et insipientiæ, atque humili de seipso sensu et estimatione. Sic Socrates rogatus quid sciret, respondit: « Hoc unum scio, quod nihil scio. » Imo alius idem rogatus, idem respondit, addidit se ne hoc quidem (quod scilicet nihil sciret) scire.

Quæres secundo, quomodo Paulus dicit: « Quorum primus ego sum; » sciebat enim sibi jam condonatum esse hoc peccatum.

Respondeo, « sum, » id est fui. *Secundo* et simpliciter, Paulus hic se considerat quasi in puris naturalibus constitutum, seclusa gratia: sic enim peccator erat, fuissetque in peccato permansurus, et nullo modo mutandus, imo longe adhuc gravis peccatorum: humilis enim est, considerare et despiciere se ob ea quæ habet a se: nam ea quæ habet a Deo non sua sunt, sed Dei, Deoque eorum laus et gloria debetur. Sic S. Augustinus, lib. II *Conf. vii*: « Domine, inquit, gratiæ tuæ deputo, quæcumque non tui mala. » Et infra: « Omnia mihi dimissa esse fateor, et que me sponte feci mala, et que te duce non feci. » Diserte vero in prologo de vita Christiana: « Ut ego, inquit, peccator primus et ultimus, insipientiorque ceteris, et imperitior universis, te ut sanctitatis et justitiæ viam pergas, crebrioribus audeam litteris admonere, non meæ propriæ justitiæ fiducia, non sapientiæ peritia, non scientiæ gloria, sed sola quam secundum Deum animo ac mente concepi, charitatis tuæ causa compellit. » Sic Socrates a quodam Physiologo notatus ex naturali complexionem, quod esset incontinentem et fur; cum astantes, qui Socrates prohibentem noverant, Physiologi judicium ridebant, respondit Socrates: Non est mentitus; sum enim naturalis talis, sed me contineo.

Moraliter, quisque consideret se et sua peccata, non aliena, dicatque: Primus peccatorum ego

sum; agnoscat et deprecietur Dei in se clementiam; humiliet se, ita tamen, ut anxie se non discrediet. Unde S. Bernardus, serm. 3 *in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli*: « In Paulo, inquit, dicente, Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quoniam Dominus Jesus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; hoc consolatiōnis et fiduciæ accipite; fratres, ut ad Dominum jam conversos non nimis crucietis preferitorum conscientia peccatorum, sed tantum humiliet vos, sicut et ipsum Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Misericordiam etiam concessus est Petrus, qui non ignorans, sed apertus habens oculos peccavit. » Et infra: « Quid enim? peccasti in sæculo? numquid amplius Paulo? Quod si in ipsa Religione, numquid plus Petro? Atamen illi in toto corde præsentiam agentes, non modo salutem, sed et sanctitatem consecuti sunt. Et tu ergo fac similiter, quoniam propter te Scriptura eos vocat viros misericordie, utique propter multam misericordiam, quam consequi meruerunt. »

16. Ut in se primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. — Nota: *Primo* nomen est, non adverbium; Græce enim est *πρῶτον*, id est primo et præcipuo, scilicet peccatore. Pulchre Theodoretus: « Quemadmodum, inquit, medicus cum in una domo multi simul agrotant, et omnes de salute desperant, si unum pessime affectum aperit, et datis ei medicamentis ad perfectissimam sanitatem deduxerit, facit, ut alii omnes bono sint animo, eo fidenciam concipiant: ita Dominus Christus, animarum medicus, cum factus esset homo pro salute peccatorum, me qui «ram iniquissimus et omnium sceleratissimus, non solum a prioribus liberavit maculis, sed etiam maxime etiam donis obruit, omnibus hominibus per me ostendens suam patientiam et clementiam, ut nemo eorum, qui maxima scelera perpetraverint, ad me respiciens, de salute desperet (1). »

Nota secunda: Pro « omnem patientiam, » græce est *πᾶσαν μακροθυμίαν*, id est omnem longanimitatem; « omnem, » id est totam et perfectam: ponitur enim nomen collectivum universale, pro toto quanto; perfecta enim et illustris fuit Dei longanimitas, qua furentem contra se Paulum tam diu sustinuit, quem unico ictu oculi perdere poterat et fulmine afflare. Ambrosius pro hoc uno verbo, duo posuit, « magnanimitatem et patientiam. » Magnanimi enim est esse longanimitatem, patientem et mansuetum; et contrario pusilli est animi, injuriis commoveri, turbari, vellegue se vindicare.

Hinc pulchre S. Gregorius, *XXXI Moral.*, cap. 8,

(1) Altili: « In me primo, » id est, in me prius quam in aliis, scilicet a me convertentia.

explicans illa verba Jobi : « Numquid volet rhinoceros servare tibi? » eaque mystice applicans S. Paulo : « Rhinoceros, inquit, qui et monoceros, tanta est fortitudinis et feritatis, ut nulla venantium arte capiatur. Sed, ut Physici (inter quos est Isidorus, lib. XII *Etymol.*, cap. II, et Pierius in hieroglyphico Rhinocerotis, qui eum Halicornem vocat) asserunt, virgo ei puella proponitur, que venient sinum aperit, in quo ille, omni ferocitate deposita, caput deponit, sicque soporatus velut inermis, capitur. Pari enim modo, caro illa virginea Christi Paulum spirantem minarum et cædis donare, placare, capere, totumque sibi devincire potuit, dum ei totum sinum misericordiae suæ expandit. »

Nota tertio: Pro « ad informationem, » Ambrosius legit, *ad exemplum*; Græce enim est *ὁμοίωμα*, que significat vivum exemplar et imaginem, qua res plene expressa subiectione oculis, *q. d.* Misertus est mei Deus, ut in me quasi in primo et maximo peccatore, daret vivum exemplar et hypotyposin divinæ sue clementiæ et longanimitatis; ut in me manifestissime cernerent homines, Deum omnes peccatores velle salvos fieri, eosque ad se vocare, et tantum non cogere, ac facillime esse offensas, quamvis gravissimas, condonare. Itaque meo exemplo informavit et excitavit omnes, qui futuris sæculis Christo credituri erant, ad obtinendam vitam æternam; ut per contritionem audeat quisque eorum sperare veniam a Christo, ad eumque pro ea supplex confugiat. Mire enim homines excitant exempla Sanctorum. « Sagittaveras, inquit Augustinus, lib. IX *Confess.*, cap. II, tu, Domine, cor meum charitate tua, et gestibam verba tua transfixa visceribus, et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant et consumebant teporem. »

Moraliter Chrysostomus, hom. 2 in *Psalm.* v : « Si impius es, inquit, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspicue latronem; si iniquus es, cogita blasphemum, considera Paulum prius persecutorem, postea annuntiatorem. Nolo mihi dicas: Blasphemus sum. Nolo dicas: Persecutor sum, immundus sum. Habes omnium ostensiones, in quem volueris portum confugito: vis in novum? vis in veterem? in veteri David, in novo Paulus. » Et infra: « Quid est peccatum ad Domini misericordiam? Tela aranæ, quæ vento flante nusquam comparat. »

Et ex S. Augustino, serm. 9 *De Verbis Apostoli*, Anselmus hic: « Si Saulus sanatus est, ego quare despero? Si a tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego vulneribus meis illas manus non aptabo? ad illas manus non festinabo? Ut hoc dicent homines, ideo factus est Saulus ex persecutore Apostolus: quia cum venit medicus volens sibi famam comparare, infirmum querit

aliquem desperatum, et ipsum sanat; et, si pauperimum inveniat, non ibi querit mercedem, sed commendat artem: ita et Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ ostendit in Saulo, ut omnes deinceps nosset eum sanare posse cunctas infirmitates omnium confugientium ad se. »

17. REGI SÆCULORUM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI DEO, HONOR ET GLORIA IN SÆCULA SÆCULORUM. AMEN. — Apostolus hic more suo post commemoratum remissionis peccatorum, et redemptionis Christi beneficium, assurgit a Christo homine, et erumpit in laudem et doxologiam Dei Patris, ut vult Ambrosius; vel potius, ut Theodoretus et Anselmus, totius Sanctissimæ Trinitatis, que per Christum hoc donum remissionis hominibus contulit, ac omnibus sæculis confert et conferat.

Nota: « Rex sæculorum » est proprium, *Dei Deus est* attributum, significans quod Deus est primum et æternum ens, ac consequenter rex, auctor, ordinatio, distributor, moderator et dominus omnium sæculorum, hoc est, et æternitatis suæ, et ævi, sive æternæ vite angelorum et temporum nostrorum: hæc enim omnia manant a Dei æternitate. Unde pulchre et divine S. Dionysius, *De Divin. nominib.*, cap. V, VII et X, hunc locum explicans, « Ex eo, inquit, quia est (Deus æternus Rex sæculorum), sæculum est, essentia, et ens, et tempus, et generatio, et quod generatur, et quod quomodoqueque subsistit. » Omne enim esse temporaneum manat ab esse æterno et perpetuo, quod est in Deo Rege sæculorum. « Et ideo, ait Dionysius, Deus dicitur Rex sæculorum, utpote in quo et circa quem totum esse et ens subsistensque versetur. » Unde pro *sæculo*, græce est *αἰών*; *αἰών* autem significat primum, æternitatem Dei; secundum, ævum angelorum; tertio, ævum et durationem hominum. Æternitas enim, que duratio est nec finem, nec principium habens, soli Deo competit: æternitas vero, que principium habet, et eatenus convenit cum tempore nostro, sed caret fine, et eatenus participat aliquid æternitatis divinæ, angelis tribuitur et anime rationali. Hinc, ut ait Aristoteles, lib. I *De Cælo*, cap. IX, dicitur *αἰών* *αἰὼν τῷ αἰ. αἰ.*, id est, ex eo quod *semper* sit. Forte voluit Apostolus perstringere fideles sones Valentini, et his opponere Deum verum Dominum ævum omnium.

Nota secundo: Pro « immortalis, » græce est *ἀθάνατος*, hoc est, *incorruptibilis*, ut habet Syrus, et Augustinus, lib. I *De Actis cum Felice Manichæo*, cap. VII. Porro « immortalis, » vel incorruptibilis, idem est quod immutabilis, *q. d.* In Deum non cadit corruptio, nec mors, nec interitus, ac consequenter nec mutatio ulla: nam omnis mutatio, ait Anselmus, mors quedam est rei, que mutatur et desinit esse quod fuit. Sed potius Deus est immortalis, incorruptibilis, immutabilis, ac consequenter æternus: incorruptio enim et im-

mortalitas est ratio, et quasi causa æternitatis.

Nota tertio: Addit « invisibili, » quia naturaliter nec corporis, nec mentis oculis, nec ullis naturæ viribus Deum videri potest: sed ut quis videat Deum, supernaturali lumine gloria opus habet, ut patet in Beatis.

Nota quarto: Dicit « soli Deo, » id est qui solus est Deus: Deus enim unus est, ac consequenter hic solus est Deus. S. Ambrosius qui hoc ad Patrem refert, docet Patrem vocari solum Deum, non quod Filius et Spiritus Sanctus non sint Deus, sed quia Pater est fons et principium deitatis, puta Filii et Spiritus Sancti. Adde, ut docet D. Thomas et Theologi, voces exclusivas additas nominibus essentialibus Dei et attributorum ejus, cum attribuantur uni personæ, non excludere alias personas divinas, sed tantum alias res, que divinam essentiam non habent, sed aliam ab ea diversam et creatam. Verum, ut dixi, cum Theodoro melius hæc non soli Patri, sed toti Sanctissimæ Trinitati tribuas. Græca adiunt *ὁμοίωμα Θεοῦ*, id est soli sapienti Deo: et ita legunt Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius et alii Græci præter Theodoretum. Dicitur Deus solus sapiens per se et per suam essentiam, quippe sapientiam suam in omnes et angelos et homines, quasi fons derivat; omnem enim suam sapientiam homines et angeli non habent ex se, sed a Deo. Sic solus Deus dicitur bonus, supple per essentiam, *Luce* XVII, 19.

Nota quinto: « Soli Deo sit honor et gloria, » scilicet divina et lætitiæ, que Deo vero debetur, *q. d.* Non angelis, non idolis, non diis gentium, sed soli Deo vero tribuatur honor et gloria divinitatis, ut omnes angeli et homines, et maxime ego Paulus, ob tantam Dei in peccatores, et in me primum et maximum peccatorem clementiam, qua me hoc Christi et gratiæ sæculo nasci fecit, rebellem ad se traxit, et pene coegit, peccata dimisit, justificavit, imo Apostolum fecit, semper eum celebrare, adorem, glorificent tum mente et voce, tum etiam sancta conversatione et vita. Qua de re vide hic Chrysostomum in moralibus hom. 4.

Pie S. Bernardus, serm. 83 in *Cant.*, docet hunc Dei honorem debere melle amoris condiri, ab eoque oriri ut Deo perplaceat. « Exigit, ait, Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? nempe amor. Absque hoc et timor penam habet, et honor non habet gratiam. Servilis enim timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor et gloria. Sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, per se placet, et propter se. Ipse meritum, ipse premium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo qui amo, amo ut amem. Ignis res amor, si

tamen ad eum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat jugiter unde fluit. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque effectibus, in quo potest creatura, etsi non æquo, respondere auctori, vel de simili mutuum rependere vicem. »

18. HOC PRÆCEPTUM COMMENDO TIBI, FILI TIMOTHEE, SECUNDUM PRÆCEDENTES IN TE PROPHECIAS, UT MILITES IN ILLIS ROMAN MILITIAM. — Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus « hoc præceptum » referunt ad sequentia, *q. d.* Præcipio tibi, o Timothee, ut scilicet secundum præcedentes de te prophetias milites bonam militiam. Verum, pro ut, Græce non est *ὅτι*, sed *ὅτι*, quod magis causam finalem, quam objectum significat; quoniam Apostolus has et similes particulas sæpe confundit, et pro *isidem* sumit.

Secundo, alii referunt ad proximè præcedentia, *q. d.* Præcipio tibi ut prædices Christum venisse, ut peccatores salvos faceret.

Tertio, alii referunt ad omnia præcedentia, *q. d.* « Hoc præceptum, » id est hanc doctrinam, quam ab initio captus hucusque tibi tradidi, tibi commendo.

Quarto et optime, Theodoretus censet Apostolum, post digressionem, qua de vocatione sua et gratia Dei gratias egit, redire ad ea que initio capitis Timotheo commendavit, ut scilicet denuntiaret quibusdam ne aliter docerent. Ubi pro *denuntiares*, græce est idem verbum *παρηγγέλλω*, a quo hoc loco præceptum vocat *παρηγγέλλω*. Hoc enim est primum Episcopi munus, resistere videlicet pseudoapostolis, et sanam fidem veri ac prædicare. Unde hæc verba bene eadem sunt cum illis, que initio capitis post denuntiationem jam dictam subjungit; ibi enim ait: « Finit autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. » Pro quo hic *isidem* bene verbis dicit: « Præceptum tibi commendo, ut milites bonam militiam, habens fidem, et bonam conscientiam. »

SECUNDUM PRÆCEDENTES IN TE (id est, ut Syrus super te, de te: Græce enim est *ἐν σοι*, quod respondet Hebræo *עִיךְ* *alecha*) PROPHECIAS. — Vatablus per prophetias intelligit doctrinam, sive munus docendi Timotheo creditum, *q. d.* Vide, o Timothee, ut in hoc munere quod a Deo accepisti, te fortiter et strenue geras instar militis.

Secundo, alii per prophetias accipiunt varia charismata Spiritus Sancti, que in Timotheo erant, inter que erat etiam proprii nominis prophetia, *q. d.* Paulus: Præcipio tibi ut illa milites, sicut dona Spiritus Sancti tibi concessa requirunt.

Tertio et melius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Œcumenius et alii proprie per prophetias accipiunt revelationes, *q. d.* Hoc præceptum jam explicatum tibi, o Timothee, commendo, ut, sicut Dei revelatione et spiritu prophetiæ admonitus te Episcopum Epæsi ordinavi,

ita juxta eandem prophetiam nunc milites, illique respondens, ostendasque veram fuisse de te prophetiam.

Episcopi
dum
laure
per
desi
quod
non
dei

Unde notant Chrysostomus et Theophylactus, in primitiva Ecclesia Episcopus et Apostolos seligi et ordinari solitos per prophetiam, revelationem et designationem Dei. Sic Act. xii, 2, dixit Spiritus Sanctus: « Segregate mihi Saulum et Barnabam. » Sic Eusebius, lib. VI *Histor.*, cap. xxy, refert in electione Fabiani Pontificis columbam e caelo in eum delapsam. Sic S. Gregorius columnæ igneæ sibi incubantis indicio deprehensus et designatus est Pontifex. Sic magnus ille Athanasius divinitus declaratus fuit B. Alexandro, Episcopo Alexandrino morienti, quod sibi in episcopatu esset successurus. Unde cum Athanasius timens, et fugiens episcopatum, Alexandria recessisset, Alexander in morte identidem inelamans Athanasium, tandem in has voces erupit: « Athanasii, inquit, putas te posse effugere, non tamen effugies. » Testis est Apollinaris apud Sozomenum, lib. II, cap. xvi. Sic S. Nicolaus, Ambrosius, Alexander Carbonarius divino indicio vocati et ordinati sunt Episcopi. Idem de Timotheo hic asserit Paulus.

Addit quarto, Magallianus per prophetias posse accipi predictiones, conjecturas et bona omnia quibus Christiani omnes optata quæque de Timotheo, cum ordinaretur Episcopus, ex vite ejus anteaque sanctitate ominantur, prædicentes, non dubitare se, quin fideliter, constanter et egregie munere episcopali perfungeretur. Sic S. Ambrosius pueri, deinde populi totius, voce acclamatus Episcopus, per prophetiam Episcopus factus est; vox enim populi, vox Dei.

Ut MILITES IN ILLIS BONAM MILITIAM. — « In illis, » id est per illas prophetias, hoc est, per Spiritum donatore prophetie. Secundo et melius, Œcumenius et alii, « in illis, » id est secundum illas, ut scilicet illis prophetiis de te factis respondeas.

Nota, Christianum esse militem Christi quasi ducis et capitani sui, quia tota vita sub vexillo crucis pugnare debet cum vitii et concupiscentiis ac demonibus, *Roman.* vii, 23; *Galat.* vii, 17; *Job* vi, 4; et Christus, *Matth.* xi, 12: « Regnum, inquit, cæterum vim patitur, et violenti rapiunt illud. »

Pulchre bellum hoc describit S. Augustinus, *XXII De Civit.*, xxii. Hujus militie arma et panopliam describit Apostolus, *Ephes.* vi, 13, ejusque stipendium est vita æterna, *Rom.* vi, 23.

Seneca, epist. 37 ad Lucillum, eum hortatur ad virtutem, sumptis a se militari verbis: « Promissis, inquit, virum bonum (ἀγαθόν) id est virum fortem et bellicosum, sacramento ligatus es. » Hoc enim duci promittebant milites, dum auctorabantur. Quod si sponsionis oblii ignave se gerent, non viri, sed femine per probrum appellabantur, ut Bandoica, Britannorum regina apud Dionem, lib. LXII, Neronem effeminatum

vocat Neronidem. Idem sibi dicat Christianus: In baptismo auctoratus es miles Christi, virum te fore spondidisti, virum ergo te præbe, qui milites viriliter contra carnem et mundum decerta.

Verum Episcopi, Pastores et Doctores, ut docet hic Apostolus, peculiariter sunt et dicuntur milites Christi. Pro quo nota: Militia per catachresin Hebraeis omnem famulatum significat. Hinc angeli, cæli, sidera, omnesque creaturæ vocantur Dei milites, indeque dicitur Deus Sabaoth, id est exercituum; estque Sabaoth unum ex decem nominibus Dei, teste Hieronymo ad *Marcell.* Magis proprie tamen Levitæ et sacerdotes dicebantur milites Dei. Unde *Numer.* iv, 30, Levitæ dicuntur exire in militiam tabernaculi, quia in tabernaculo aque ac milites in castris suo ordine serviebant. Hinc mulieres in tabernaculo commorantes, ejusque ministerio addictæ, vocantur templi milites, *Eccli.* xxxvii, 8, ubi dicitur: « Fecit et labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, » quæ excubabant in ostio tabernaculi; ubi pro quæ excubabant, hebraice est יָשַׁבְתִּי מִלְחָמָה יִשְׁבֹּת אֲשֶׁר יִשְׁבֹּת, id est « mulierum militantium, » quæ militabant in ostio tabernaculi. Eodem modo vocantur *Reg.* ii, 22. Ad hos ergo Levitæ et sacerdotes templi milites alitend Paulus, Timotheum aliosque Episcopos et Pastores vocat milites Ecclesiæ: hi enim non tantum ut veteres Levitæ in templo excubant et Deo serviunt, sed etiam quasi duces ad bellum cum hereticis, vitii et demonibus ineamum, alios fideles incitant, anteedunt et defendunt, ideoque maximum hostium impetum sustinent. Atque in primitiva Ecclesia id maxime verum et clarum erat, quando Iudei, Gentiles, Imperatores et heretici in Ecclesiam omnibus viribus et armis insurgunt, ut eam opprimerent; quam ut defenderent Apostoli, aliique præcones, ad mortem et martyrium usque contra eos decertant. Sic postea immortals Athanasius pene solus contra orbem fere universum Arianum per 46 annos heretice depugnavit et triumphavit.

Unde moraliter Chrysostomus: « Milita, inquit, bonam militiam; est enim et militia mala, de qua alio loco ait: Sicut enim exhibuisti membra vestra arma peccato. Illi sub tyranno militant, non æterno Regi militamus. Cur autem eam rem militiam vocat? Indicat profecto bellum esse exitum vehementem et arox, cum cæteris, tum maxime ei, qui doctoris fungitur munere. In quo nobis armis opus est validis, sobriofate scilicet, temperantia, precibus perpetuisque vigiliis, ut in eis milites habens fidem et bonam conscientiam: magistrum quippe prius oportet docere seipsum; quemadmodum enim dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquando poterit, ita et doctor.

Egrege vero S. Basilus, præfat. in *æcclia*, in-formans spiritalem militiam Christi, sic ait: « Ubi

Quæ
militia
Episco-
porum
et
Pasto-
rum?

Leviti
taberna-
culo
quæ
militis
in castris
servie-
bant.

Militia
Episco-
porum
contra
hostes
dei et
demonia.

Membra
de mem-
bris
Christia-
ni et S.
Chryso-
stomi.

ergo Christus Rex? in caelo. Hoc tuum tibi, o Christi miles, dirigendus est cursus. Obliviscere quidquid hic in terris est. Miles non domos ædificat, non comparat agros, mercibus et lucro non studet. Alimenta miles habet a rege, in plateis tabernaculum sibi ponit. Cibum sola necessitas laborum, potio aqua, somni quantum natura requirit, sinera frequentia, itemque vigiliæ, acris ad frigora caloresque tolerandis patientia, periculosorum cum adversariis certaminum crebra susceptio, et in his sæpe mors, gloriosa tamen et quæ regis honoribus et muneribus decoretur. » Quæ omnia applicans Christi militi, ita concludit: « Age igitur, Christi miles, subeat animum tuum sempiternorum bonorum cogitatio. Propositum tibi vite genus sit domo, urbe ac possessione rerum omnium carere. Solus esto, atque ab omnibus vite hujus curis liber. Non te illiget conjugis cupiditas, non filiorum sollicitudo: imitare sponsum ecclesiam; insurgentes adversum te crebro invisibiles hostes in fugam dato, atque eos ex animo primum expellas tuo, neque omnino illis quidquam apud te sit loci, dele consilia adversus Christi fidem defectionem molientia, » etc.

19. HABENS FIDEM ET BONAM CONSCIENTIAM. — Hæc sunt arma militie Christianæ, imo Ecclesiæ, q. d. Militibus, o Timothee, bonam militiam, si fidem rectam circa veram orthodoxa dogmata et bonam conscientiam, id est sanctam vitam et morem sequaris et conserves, ut fidem rectam alios docere et bonæ vite exemplo subditis prædicare possis: hæc enim duo præcipua sunt Episcopi et Pastoris munia. Nec enim in fide vacillantis est alios confirmare, nec ignorantis docere, nec incompositi componere, nec inordinati ordinare.

QUAM (bonam conscientiam) QUIDAM REPELLENTES (græce ἀποστρέφοντες, id est postquam repulerunt (1): unde Vatablus vertit, qua repulsa) CIRCA FIDEM NAUFRAGAVERINT, — id est fidei naufragaverint et jacturam fecerunt, factique sunt apostate, schismatici, heretici.

Nota est Chrysostomo: Pulchra metaphorâ fidem navi comparat, in qua anchora, quæ navim hanc roborat, ut in tribulatione perseveret, est bona conscientia et ex ea manans spes vite æternæ: sicut enim navis in procelloso mari spem portus præbet hominibus, et ducit ad portum, ita fides ducit ad vitam æternam; et sicut homo extra navim in mari, sine spe salutis est, ita et homo sine fide: quamdiu vero manet in navi, id est sine fide, licet peccet, restitui potest, spem habet salutis. Hinc Ecclesia, quæ est fidei magistra et fidelium congregatio, comparatur arce Noe, extra quam nemo salvus est a diluvio; et naviculis Evangelicis, in quibus Christus prædicabat regnum Dei, tempestates sedabat et pisces capi faciebat.

19. Ex quibus (de quorum numero) est hinc

NEUS ET ALEXANDER. — Hic est ille, de quo II *Timoth.* iv, 14: « Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera ejus: quem et tu devita: valde enim restitit verbis nostris. » Suspicatur Baronius et alii hunc eundem esse Alexandrum, qui primo fidelis, causam pro Paulo egit, sed deficiens factus est apostata et hostis Pauli omniumque Christianorum.

QUOS TRADIDI SATANÆ. — Id est, quos excommunicavit. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius. Atque hinc videtur fluxisse illa phrasia, quæ excommunicati dicuntur possideri a diabolo, ut habetur cap. *Audi*, et cap. *Omnis*, II, *Quæst.* III. Rursum « tradidi satanæ » significat, eos satanæ quasi carnifici cruciandos esse traditos. Ita docet Chrysostomus, Œcumenius et alii, ac imprimis Theodoretus: « Eos autem, inquit, tradidit diabolo, non ut bonorum magistro, sed ut servo carnifici; et ideo non dixit, ut eos doceret, sed, ut docerent non blasphemare. Ab Ecclesiastico enim corpore separati, et divina gratia nudati, ab adversario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos et difficiles affectiones et alias calamitates: hæc enim consuevit inferre hominibus, quoniam est et inimicus et ultor, ut dicit Propheta *Psal.* vii. Contestaneum autem erat illos castigatos mutare sententiam, » etc. Et Chrysostomus de excommunicato loquens: « Bejucibatur, inquit, a communi fidelium cœtu, abscedebatur a grege, fiebat nudus, atque ita destitutus luporum patebat et predebatur occubibus: sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat, ita et Ecclesiam protegebat Spiritus Sancti gratia.

UT DISCANT NON BLASPHEMARE. — Ambrosius, « ut emendentur et respiciant a sua blasphemia et hæresi » excommunicatio enim non ad perditionem, sed ad emendationem peccatoris ferri debet, ut notat Chrysostomus, nimirum πειθαρχεῖτε sunt πειθαρχεῖτε et vœratio est intellectum. Hinc patet omnem hæresin esse blasphemiam in Deum, qui est prima vitia, omnis enim hæresis et hereticus, ut sua dogmata fidei contraria statuat, dicit et docet fidem veram, ac consequenter Deum veræ fidei autorem, esse falsum et mendacem. Qualis fuerit horum blasphemia et hæresis, non explicat Paulus.

Moraliter hic nota, forem hæreses omne malam conscientiam et vitam. Nunquam enim hæresis est primum peccatum, sed oritur vel ex ambitione, vel ex avaritia, vel ex libidine; ac consequenter, ut viri sapientes censuerunt, contra hereticos non tam argumentis agendum est, quam puritate vite: ut nimirum inducantur ad vite puritatem, morum honestatem, castitatem, humilitatem et opum contemptum. Sublata enim radice hæreses, tollitur et ipsa heresim. Rursum, hinc sequitur vitam malam tendere et desinere in hæresim. Mores ergo vite corrupta sunt scopuli, ad quos fides, quasi navis aliditur subinde et frangitur. Cujus ratio est, quia, naturalis antipa-

Id est
vita
sunt
vicia
hæresis
est bla-
sphemia
in Deum.

Origo
hæresis
est mala
conscien-
tia

(1) Nempe morum perversitas sæpe est causa errorum, qui virtutis patrio...

thia et contritietas quae est inter fidem et malam vitam: haec enim fides semper carpit et redargit. *Secundo*, naturalis lapsus et ruina. Qui enim ex uno vitio in aliud et aliud, tandem profundissime in haeresim ruit et prolabitur. Sunt enim hae fossae vitiorum sibi invicem subordinatae, ut gradatim ex una in aliam et aliam, ac tandem in barathrum, id est in haeresim, descendas et corruas. *Tertio*, est punitio divina: Deus enim perditam vitam castigat per subtractionem sui luminis, veritatis et fidei, perditosque homines tradit in reprobum sensum, ut docet Apostolus *Rom. 1, 21 et 24. Quarto*, quia, ut docet Chrysostomus mox citandus, hi corrupti homines, ut libere suis vitiiis et voluptatibus indulgeant, negant futura bona et mala, absque dogmata fidei, quae Dei metum et peccati horrorem eis injicere possent.

Ac *primum*, ambitionem et superbiam esse fontem haeresis, patet ex eo quod haeretici omnia rationibus humanis metiri et concludere volunt, id est videre rem volunt, non credere. Sic ambrosius primum haereticum Simonem Magum haereticum fecit; voluit enim Spiritum Sanctum emere pecunia, ut eum posset quibus vellet clarum, sique colli tanquam donator Spiritus Sancti. Tertullianum quid Montanistam effecit, nisi quod, ut notat Baronius, Pamelius et alii, mortuo Agrippino Episcopo, ambiens episcopatum Carthaginiensem, eo exciderit?

Sic *tertius*, inquit Augustinus, lib. *De Haeresibus*, quod episcopatu frustratus esset, cepit asserere sacerdotes esse pares Episcopis.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proseco Timotheo ante omnia commendat orationem, qua oratur pro omnibus, etiam regibus; Deum esse velle omnes homines salvos fieri.

Secundo, vers. 8, vult viros quoslibet orare in omni loco.

Tertio, vers. 9, jubet pariter orare mulieres, sed in habitu et ornatu modesto, in humilitate et silentio: docere enim mulieri non permittit, sed vult eam viro subijci et ab eo edoceri, atque filiorum generationi et educationi intendere, itaque salvam fore asserit, vers. ultim.

1. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: 2. pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. 3. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, 4. qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 5. Unus enim Deus, et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: 6. qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis: 7. in quo positus sum ego predicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior), doctor Gentium in fide et veritate. 8. Volo ergo viros orare in omni loco, levantem puras manus sine ira et disceptatione. 9. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis,

Sic hoc saeculo Lutherus, Ochinus, Dadeclus et alii, primas cathedras, vel purpuram, aut pallium ambientes et repulsam passi, apostatarunt, et inter Novantes primatum quaesierunt.

Secundo, quod libido et carnis vitium fons sit haereseos, docet hic Chrysostomus: « Male viventes, inquit, ne futurorum metu et expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia, quae nostra religio continet, nempe de peccatis, resurrectione, iudicio futuro, et similibus.

Sic Nicolaus Diaconus, cum ad exemplum Apostolorum a propria uxore continuisset, post a proposito delapsus, ac reprehendi veritus, negabat quemquam salvari posse, nisi venerem singulis diebus exerceret.

Marcion, cum ob corruptam virginem acriter objurgaretur, tria excogitavit baptismata in remissionem peccatorum.

Cujusmodi item vite fuerint Montanus cum suis prophetis, ac Novatus, videre est apud Eusebium, lib. V, cap. XVII et lib. VI, cap. XXXII. Sed quid veteres repetimus historias, cum hodie, exempli gratia, doceant haeretici vix esse impia, ne cogantur de sua libidine erubescere? Quid enim sunt Lutherus, Calvinus, Menno, Beza, Bucerus, Martyr, nisi apostatae et votifragi monachi aut sacerdotes, et in Catholica Ecclesia votum continentiae Deo munebantur, illudque deinde violant? Experientia quotidianaclare constat apud eos haeresim invalescere, ubi studium bonae vite neglectum habetur.

vel veste pretiosa: 10. sed quod deceat mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 11. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. 12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. 13. Adam enim primus formatus est, deinde Eva: 14. et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevagatione fuit. 15. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.

1. OBSECO PRIMUM OMNIUM FIERI OBSECRATIONES — Nota: Pro *obsecro*, Graece est *προσεχω*, quod verti potest cum Vatablo et aliis, *admonere, adhortari*; S. Ambrosius legit, *exhortare*, forte, quia in Graeco legitur *προσεχω* in imperativo.

Nota *secundo*: Vox igitur significat haec inferri ex dictis cap. preced. Dixit enim Christum venisse, ut omnes peccatores salvos faceret, et in hac re Episcopum Timotheum debere Christo cooperari, et militare bonam militiam; hinc jam infert: « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, » q. d. O Timothee, ut tuo episcopatu rite perungaris ad peccatorum salutem, scias primum Episcopi munus esse, orationi cum suis et pro suis vacare, et te plus oratione, quam predicatione (quae inter externa officia activae vitae primum est in Episcopo) effecturum; oratio enim infidelibus et peccatoribus lucem et gratiam, quae convertantur, a Deo impetrabit. Ita Chrysostomus. Et patet ex seqq.; cur enim velit fieri orationes, causam subdit, dum ait: « Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri. »

Nota *tertio*: Vox *omnium* vel referri potest ad sequentia, nimirum ad *obsecrationes* (q. d. Volo fieri obsecrationes omnium, sive ab omnibus Christianis), vel ad antecedentia, videlicet ad *primum*, q. d. *Primo* omnium, id est ante omnia, volo fieri obsecrationes; idque aptius est, et ita explicat S. Ambrosius et Chrysostomus, qui sic interpretantur, quasi Apostolus mane ante omnia velit nos incumbere orationi. « Atque id, ait Chrysostomus, norunt fideles, quomodo diebus singulis mane et vespere orationes fiant ad Dominum, quomodo pro omni mundo, et regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, obsecrationes ab Ecclesia fiant. »

Nota hunc locum pro matutina et vespertina oratione ex veteri usu Ecclesiae. Ita fecit David, *Psal. LXXII*: « Deus, inquit, Deus meus, ad te de luce vigilo. » Ita fecit Job, cap. 1, 3: « Sanctificabat, inquit Scriptura, illos (filios), consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. » Hinc S. Dionysius, cap. III *De Divinis Nominibus*: « Omnis, inquit, actio ab oratione inchoanda nobis est, praesertim in theologia, » id est quando incidit sermo ut disputatio de rebus divinis. Ita faciebat Nazianzenus, ut habetur in oratione ejus, quam dicebat iter facturus: « Tibi, inquit, Christe, vivo, tibi loquor, tibi, Christe, sedeo, tibi liceo, quandoquidem me manu regis. »

OBSECRATIONES, ORATIONES, POSTULATIONES, GRATIARUM ACTIONES. — *Primo*, Theophylactus, Gagneius et, ut videtur, Chrysostomus, tria prima, scilicet « obsecrationes, orationes, postulationes, » volunt esse idem, sed ad auctosim alii nominibus iterari: sic enim *Philip. IV, 6*, et *Ephes. VI, 18*, haec pro eodem sumit.

Secundo et melius, alii haec distinguunt. Imprimis D. Thomas vult haec reperiri distinctim in una eademque oratione sive collecta: oratio, inquit, est ipse mentis in Deum ascensus, ut cum in collecta dicitur, « Oranipotens sempiternus Deus; » gratiarum actio est, cum subditur, « Qui infirma mundi eligis; » hanc sequitur postulatio cum dicitur, « Praesta, quaesumus; » quae omnia concludit obsecratio per res sacras, cum dicitur, « Per Dominum nostrum Jesum Christum. »

Tertio et aptius ad Graeca, Theodoretus, Eucumenius et Cassianus, *Collat. XI, cap. XII et XIII*: « Obsecrationes, » inquit, Graece *δεσσεις*, vocantur, id est supplicationes pro remotione malorum et tristitia, ut his liberentur. Unde Ambrosius et Augustinus legunt, *deprecationes*. « Orationes, » Graece *προσευχαι*, vocantur petitiones bonorum, ut ea nobis obvengant. « Postulationes, » Graece *ιτησεις*, vocantur interpellationes, cum accusamus eos, qui nos injuria afficiunt, inquit Theodoretus; vel, ut Primasius, cum interpellamus pro aliorum salute. Denique « gratiarum actio » Deo offertur pro bonis, quae nobis prius contigerunt.

Nota cum Ambrosio, Augustino, Chrysostomo et aliis, Apostolum loqui maxime de oratione publica et communi, qualis est Missa, Litaniae et similes. Unde S. Augustinus, epist. 59 ad *Paulinum*, Quaes. V, apte haec refert ad Missae liturgiam, ut « obsecrationes » sint *confiteor*, et aliae orationes Missae, quae fiunt ante consecrationem, in quibus est frequens deprecatio et obsecratio pro Christum, et alias res sacras; « orationes » vero sint *ave*, quae fiunt sub consecrationem. Graecum enim *προσευχαι* significat orationem quae fit cum oblatione (qualis est in consecratione) vel voto. Deinde ut « postulationes » fiant post consecrationem, cum populus benedicitur; tunc enim, inquit Augustinus, « anistites velut advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimae offerunt potestati; » scilicet cum sacerdos post consecrationem pro seipso pro vivis et defunctis postulat beneficia, cumque populum benedicit, tunc eum quasi misericordiam

Augustinus
hanc
Pauli lo-
cum re-
fert ad lit-
urgiam
Missa
ejusque
partes.

Dei sistit, et sua postulatione beneficio efficiendum offert. Quibus peractis, « participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta (liturgia et Missæ mysteria) concludit. » Haec Augustinus. Ex quo S. Augustini loco patet hunc Missæ ritum saltem in communi et quoad hæc partes, fuisse tempore S. Augustini usu communi Ecclesie receptum, quasi traditum a maioribus ex Apostolorum institutione. Idem patet ex liturgiis S. Jacobi, Basili, Chrysostomi, quas ipsorum genuinas esse docent tum alii, tum VI Synodus, can. 32, discrete asserit de illa que S. Jacobo ascribitur.

Non minus apte Franciscus Suarez, III part., Quæst. LXXXIII, disp. LXXXIII, sect. 1, putat hæc omnia promiscue quavis Missæ parte fieri: in quavis enim sacerdos nunc petit, nunc obsecrat, nunc iterum iterumque gratias agit. Et idem imitandum est cuius fidelis in privata oratione: hunc enim orandi et psallendi modum docet David in psalmis, ubi omnes hos affectus alternat, ut nunc obsecrat, statim postulat, mox gratias agit, rursum orat, statim gratias agit, mox obsecrat, etc.: optima enim est oratio, que ex mentis affectibus prodit; et sicuti qui affectibus indulget, eos miscet et alternat, idem faciat qui Deum affectuose orat. Aliter hæc distinguit S. Bernardus, in *Sententiis*: « Obsecrationes, ait, verendo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum actiones fiunt affectu devoto. » Explicat singula per exempla: Obsecrationis, inquit, typum tenuit homo morrhœusa, *Matth.* cap. ix, 21, que cupiens sanari dixit intra se: « Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero. » Orationis exemplum dedit Magdalena, que pure confitens peccata, lacrymis rigando pedes Christi orabat veniam. Postulatio est, quando is qui pro se oraverat, jam orat pro aliis. Sic oratur Apostoli pro Cananea: « Dimitte illam, quia clamat post nos. » Gratiarum actio fuit illa Christi suscitatori Lazarum: « Pater, gratias ago tibi, quia audisti me. »

2. PRO REGIBUS, ET OMNIBUS QUI IN SUBLIMITATE SUNT. — Græce ἐν ὑψηλοῖς, id est in dignitate, vel eminentia. « Pro fide ergo, conversione et salute regum et principum, qui fastu suo ab humilitate Christiana abhorrent, ne despera, sed ora, ut actionibus humilium Deus præstet salutem universalem, » ait Augustinus, *Enchirid.* ciii. Hinc dicimus primo, cuius fidelis maxime orandum pro Prælati tam ecclesiasticis, quam civilibus: hi enim plurimum possunt, et ab his pendet tota respublica et Ecclesia; quales enim hi sunt, tales fere sunt et subditi: nam

Reges ad exemplum totus componitur orbis.

Sic Constantinus conversus orbem convertit, idola sustulit, ecclesias erexit.

Secundo, non tantum pro regibus et magistratibus Christianis, sed etiam pro infidelibus et Ethni-

cis, puta Nerone et similibus, qui tempore Pauli regnabant, orari vult Apostolus, idque, ut notat Chrysostomus, triplici de causa: *Primo*, ut Christiani odium omne deponerent, cum pro omnibus orare jubeantur; nemo enim eum odisse potest, pro quo orat. *Secundo*, ut ipsi reges et principes mitiores essent in Christianos, quos scirent pro se orare, etiam dum illos persecuerentur et cruciarent. Ita in castris M. Aurelii Antonini Imperatoris siti afflictis, Christiana legio Romanis pluviam impetravit, que cum tonitru fulmina in Romanorum hostes vibravit. Unde hæc legio dicta est *καταβροχέας*, id est *Pulminatrix*. Ad quam alludens Tertullianus, cap. xl *Apolog.*, ita cum Gentilibus expostulat: « Cum ab imbribus æstiva hierna suspendunt, et annus in cursum est, vos quidem quotidie pasti, statimque præsuri, balneis et camponis et lupanariis operati, aquatica (id est sacrificia ad aquam effluentem) Jovi immolatis, nudipedalia populo effluentiam colum apud Capitolium quaritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso et Deo, et celo. Nos vero jejuniis aridi, et omni continentia expressi, ab omni vitæ frange dilati, in sacco et cinere volutantes, invidia colum tundimus, Deum tangimus; et cum misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur. »

Sic Christianos olim in sanctis mysteriis pro rege sive Imperatore, etiam infideli (qualis tunc erat Nero, Decius, Diocletianus), orare solitos esse, testes sunt Justinus, *Apolog.* II; Origenes, lib. VIII *Contra Celsum*; Arnobius, lib. III *Contra Gentes*; Eusebius, lib. IV *Histor.*, cap. xxvi. Ita S. Cyprianus, ut habet ejus Vita, cum ei a præfecto objectum esset, quod ipse tanquam Christianus in Cæsarem conjurasset, libere respondit: « Longissime absimus nos Christiani ab ista culpa, qui Cæsari, etiam si alia sacra, alios deos colenti, tamen quia princeps noster est, bene cupimus et precamur, et rogamus Deum nostrum, ut ad cogitationem verorum bonorum adducatur. »

Hinc moraliter Chrysostomus hic, *hom.* 6, ex eo quod Apostolus hortetur nos, ut pro omnibus oremus, ac consequenter pro inimicis et persecutoribus, invehitur in eos qui orant pro vindicta inimicorum, dicentes Deo: Retribue illi quod mihi fecit; percutit illum, ut me percussit. « Discamus, inquit, orare ut convenit Christianis; Gentilium illæ preces sunt, Judæorum ejusmodi orationes censentur. Christiani jussum est eis qui peccaverunt; indulgentiam facilem dare, atque ut eis a Deo ignoscatur, tota intentione dispossere. »

Et infra: « Videri quidem, inquit, inimico dum contra eum orat, tentare vulnus, re autem vera contra seipsum gladium impellit; non permittit judicem in tuis tecum rebus mihius agere, dum illum adversus alium provocas. »

Tertia pro Gentilibus principibus orandi causa

fuit, ut scilicet a Deo gratiam bene et pacifice regendi illis impetrarent, utque Deus eo modo flecteret et dirigeret eorum animum et regimen, quo proficiam erat Ecclesie ejusque paci et tranquillitati.

Nam, ut eleganter ait Plutarchus, « Imperium Romanum vinculum pacis erat, velut anchora fluctuantium mundo. » Hinc Tertullianus, *Apolog.* xxx, ad calumniam Ethnicorum respondens: « In cœlem, ait, suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia peccatore oramus; precantes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus victoriam, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcumque hominis et Cæsaris vota sunt. »

Sic Jeremias, cap. xxxix, ex Hierosolyma scripti Judæis in Babylone degentibus, ut orarent pro vita Nabuchodonosoris et filiorum ejus: « Quia in pace, inquit, illius erit pax vestra. »

Addit quartam Theodoretus, non tantum orandum esse pro regibus, ut per eos pace fruamur et quietam vitam agamus, sed etiam ut ipsi ab impietate traduceantur ad fidem et pietatem, uti subdit Apostolus: « Hoc enim bonum est et acceptum coram Deo, qui omnes homines vult salvos fieri. »

Dices: S. Augustinus, lib. I *De Anima et ejus Origine*, cap. ix, ait: « Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi? » atqui infideles non sunt membra Christi, ergo pro eis non est offerendum, nec orandum. Respondeo, « pro eis, » scilicet defunctis; loquitur enim Augustinus de parvulis sine fide et baptismo mortuis, dicitque pro eis non esse orandum, quia hi nec sunt, nec fieri possunt membra Christi. Infideles autem quoadm vivunt, fieri possunt membra Christi, ideoque pro eis orandum est.

Nota tertio: Episcopo et sacerdoti incumbit pro omnibus orare; nam, ut inquit Chrysostomus, quasi communis quidam totius orbis pater est sacerdos; dignum ergo est, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, sicut et Deus, cuius ministerio servit, et fungitur vice. Est enim mundus hic quasi templum quoddam sanctum et Deo dignum, ut aiebat Diogenes apud Plutarchum in fine libri *De Tranquillitate animi*, et Philo, lib. II *De Monarchia*, initio, et Lactantius, lib. *De Ira Dei*, cap. xiv, imo ipse propheta Baruch, cap. iii, 24: « O Israel, inquit, quam magna est domus Dei! » scilicet mundus hic totus. Hujus quasi divini templi antistes constitutus est sacerdos, ut sacerdotio fungatur, et deprecetur pro universis creaturis.

Hæc de causa pontifex legis veteris in sua veste totum representat orbem; nam, ut dicitur *Sapientie* xviii, 24: « In veste poderis totus erat orbis terrarum. » Ubi nota: Poderem vocat tunica hyacinthinam, eo quod ἐκ ποδάρι, id est ad

pedes usque, extenderetur. Sub hæc autem tunica hyacinthina per synecdochen omnes alias pontificis vestes intelligit. Femoralia ergo pontificis linea figurabant terram, ex qua linum nascitur; zona, qua cingebatur pedes, significabat oceanum terram cingentem; tunica hyacinthina, utpote violacea, hoc est æveri coloris, representabat aerem. Ex hac tunica inferre debebant mala punica, et tintinnabula; illa fulguris, hæc tonitruum specimen referebant. Super hæc omnia, vestiebatur ephod pretiosus et vario, quod typus erat cœli siderei varis stellis distincti: ephod a tergo habebat duos onychinos lapides, qui significabant duo hemispheria, vel solem et lunam; a fronte vero ephod in pectore habebat Rationale, in quo erant duodecim gemme, que representabant duodecim signa Zodiaci. Rursum hæc gemme duodecim inscripta habebant nomina duodecim tribuum Israel, ut scilicet meminisset pontifex se pro iis sacerdotio fungi, et semper orare debere. In capite pontifex gestabat tiaram, cui a fronte affixa erat lamina aurea, hæc inscriptio nominis tetragrammati קדש יאזני קודש יאזני, id est sanctitas Domino: tiara hæc significabat cœlum empyreum, lamina vero Deum omnibus presidentem. Sic ergo creaturas omnes orbemque universum sua veste pontifex representabat, ut meminisset se creatoris mundi esse ministrum, et indicaret omnem creaturam Dei misericordia indigere, seque pro ea tam vocem, quam habitu assidue precari debere. Ita ex Josepho et Philone Hieronymus, epist. *Ad Fabiolam*, ubi hæc vestes explicat. De quo plura dixi *Evodi* xxviii.

Ut QUIETAM ET TRANQUILLAM (Græce ἡσυχίαν καὶ ἡσυχίαν, hoc est, placidam et quietam: ita Syrus, Vatablus et alii) VITAM AGAMUS, — quod continget, si ipsi reges et principes prudenter rempublicam administrent, et si hæc eis prudentiam orando impetremus.

IN OMNI PIETATE ET CASTITATE. — Pro castitate, græce est ἀσπιεμένη. Quæ vox non solum castitatem, sed et omnem honestatem et morum gravitatem significat, cerniturque in omni virtute, ait Theophylactus. Unde Syrus vertit: in omni reverentia Dei et puritate.

Nota primo: Vult nos Apostolus vitam agere quietam non in otio et deliciis, sed in pietate et sanctitate. Ita Theophylactus.

Nota secundo, pacem et quietem perutilem esse ad pietatem et vite honestatem; bellum enim et perturbatio, inquit Ambrosius, nec pietatem servat, nec castitatem. Videmus enim bello flagrante, urbes, templa, sacra omnia profanari et diripi, virgines violari, sacerdotes capi aut fugari, omnia rapinis et caedibus misceri, silere leges omnemque fidei cultum. « Tria sunt, ait Theophylactus, bellorum genera: unum, quod a Barbaris; alterum, quod privatim adversum nos geritur, ab his qui nobis infensi sunt; tertium